

## Caput I.

### De suprema Philebi notione.

Tanta esse solet in dialogis Platonicis sententiarum copia, ubertas, varietas, ut difficilimum saepe sit, supremam aliquam in iis notionem et perspicere recte et accurate definire, quae omnes operis partes ita contineat ac regat, ut nihil non ex ea nexus atque aptum esse appareat. Accedit quod, ut in tragoeidiis componendis lex illa, quae actionis postulat unitatem, vel ab optimis interdum poëtis neglecta est, ita Plato in nonnullis dialogis duplex consilium secutus esse videri potest et duo diversi generis argumenta inter se copulata magis quam connexa tractavisse. Non est igitur quod miremur, et antiquos et recentiores Platonis interpretes, quamvis sagacissimi fuerint et doctissimi, in universis illis notionibus constituendis et mirifice inter se dissensisse et multum interdum a philosophi ipsius consilio deflexisse. Quam rem non diversa solum sed contraria testantur judicia, quae a Platonicis nostris quum de aliis multis dialogis, tum de Gorgia,<sup>1)</sup> Parmenide,<sup>2)</sup> Phaedro<sup>3)</sup> prolata sunt. Quibus libris quamquam Philebus nec sententiarum gravitate atque amplitudine nec subtilitate atque acumine disputationis cedit, adeo exacto suo pressoque disserendi genere aliquantum eos superat, multo facilius tamen cognoscitur, quid hoc dialogo effi-

1) Neque illos, qui artis oratoriae definitionem et rectum usum, neque qui vel justitiam vel justam legum fenderum rationem, neque vero qui boni jucundique discrimen supremam Platonis in Gorgia conscribendo rationem fuisse dicant, recte judicare, sed multo latius ejus consilium patuisse, in prolegomenis ad Hieron. Müllerri conversionem (vol. II, p. 329 — 394.) evincere studuimus.

2) Quanta fuerit in hujus dialogi omnium fere difficillimi primaria notione constituenta interpretum dissensio et quantum haud pauci a Platonis ratione discesserint, in prolegomenis nostris (vol. III, p. 227 — 317.) ostendimus.

3) Et qui falsae veraeque rhetoricae discrimen, et qui laudem artis dialecticæ, et qui pulchri amorem animis humanis insitum summam suavissimi dialogi notiem esse voluerunt, consilium Platonis non totum perspexisse videntur, id quod in prolegomenis ad quartum conversionis Mülleriana volumen hoc ipso anno edendum demonstravimus.

cere voluerit, quum et ipse verbis satis perspicuis consilium suum indicaverit et in eo persequendo tam recta via progrediatur, ut rarissime extra fines, quos operi suo praescripsit, ausus sit evagari. Quapropter plerosque eorum, qui de Philebo sententias suas pronuntiaverunt, in ratione ejus definienda et inter se multo magis, quam alibi, consensisse et a Platonis consilio minus saepe discessisse videmus. Quodsi praestantissimis viris etiam hic aliquid obloquendum esse vidimus, minus tamen nobis corrigendi erunt, quam, ut cum Cicerone loquar, leviter interdum inflectendi. Namque eorum opinio, qui Platonem in Philebo conscribendo id unum egisse putabant, ut voluptatis naturam atque originem explicaret in eaque non finem bonorum esse evinceret, jam ab Olympiodoro Neo-Platonico<sup>4)</sup> merito explosa est, neque quisquam recentiore tempore ei patronus exstitit, quamquam apud antiquos defensoribus eam non caruisse constat, quum Thrasyllus, cuius haud'levis erat in libris Platonicis interpretandis et disponendis auctoritas, Philebo titulum *περὶ ἡδονῆς* adscribere non dubitaverit.<sup>5)</sup> Neque melius Pisitheus ille, qui de mente maxime in eo agi existimasse dicitur,<sup>6)</sup> Platonis perspexit consilium. Nam quum neque voluptatem nec veri cognitionem, quam mente assequamur, summum bonum esse demonstretur, neque hanc neque illam supremam dialogi notionem haberi posse facile intelligitur. Quamobrem neque Schwalbii, qui dialogos Platonicos elegantissime in Gallicum sermonem transtulit et prolegomenis instruxit haud contemnendis, sententiam probamus, Platonem animi affectus ac cupiditates voluisse explorare iisque opponere mentem ac rationem, quippe cui imperium animi tribuendum sit.<sup>7)</sup> Rectius sane ii judicare videntur, qui ad ipsam boni notionem inveniendam atque exponendam omnes disputationis partes referendas esse existimant; quale vero sit illud bonum, de quo hic agatur, ab aliis aliter definitur. Nam summum quidem atque absolutum bonum, quod mortalium mente ac cogitatione comprehendi posse Plato negabat,<sup>8)</sup> in Philebo ostendi, sed non explicari, jam Neo-Platonici isti recte intellexerant, quos etiamnunc quidam Platonem somniis suis insanisque commentis obscurasse magis quam illustrasse dictitant. Quum enim Plotinus, scholae illius antesignanus, pronuntiasset, hic non de primo bono quaeri, sed de eo, quod hominibus et adesse posset et ab iis cognosci,<sup>9)</sup> eum secuti

4) Olympiodori scholia in Platonis Philebum e codd. bibliothecae Cizensis, primum a G. Stallbaumo in priore Philebi editione vulgata, (p. 235—288) quamquam ultimi illius tempore, non ingenio scholae Neo-Platonicae philosophi non totam, sed excerptam et mutilatam saepe exhibent interpretationem, scilicet. tironis eiusdem calamo exceptam, multa tamen continent utilia, unde cognoscas, quod etiam nunc saepe dubitatur, homines illos vere Platonicos fuisse et principem philosophorum haud raro melius iis, qui eos altis supercilios de spiciunt, intellexisse.

5) Diog. Laert. III, 58. Thrasyllus tetralogiarum Platonicarum auctor quod Philebum cum Parmenide, Phaedro, convivio conjungi volebat, magnam sane veri partem perspexerat.

6) Olympiodorus (p. 237. Stallb.) Pisitheum, cuius nihil nisi nomen restat, Theodori Asinaei amicum dicit, qui a Proclo magna saepe cum laude nominatur et optimis adnumeratur Platonicis; cf. Procl. ad Tim. p. 30S, B. 341, D.

7) Dialogues de Platon, Paris, 1846, vol. I, p. 477—484. „C'est ce caractère affectif de l'âme qui est examiné dans le Philèbe et mis en opposition avec son caractère rationnel; c'est le plaisir, en un mot, qui est comparé à l'intelligence, afin de savoir dans lequel des deux réside le souverain bien.“

8) Locus est classicus de summo bono in libro de republica VI, p. 505—509. St.

9) Enn. VI, 7, 27. αὐτὸς γὰρ οὐ τὸ πρῶτον ἀγαθὸν ἔσχει, τὸ δὲ ἡμῶν.

sunt Jamblichus, Proclus, Damascius, Olympiodorus.<sup>10)</sup> Quamquam hos ipsos non prorsus eadem de hac re sensisse videmus; nam Jamblichus quidem cum Syriano et Proculo tale a Platone bonum indicari putabant, quod cunctas res permearet suaque vi ac virtute repletet ita ut, quaecunque in mundo essent, eo denique absolverentur et ad propositum finem perducerentur.<sup>11)</sup> Quos contra Damascius cum Olympiodoro id tantum bonum hic spectari affirmabant, quod cum animantibus ratione praeditis, cum diis igitur atque hominibus, posset communicari.<sup>12)</sup> Hac sua dissensione, quamvis haud ita magna esse videatur, diversas illas rationes, quas recentiores Platonis interpretes in dialogo explicando inierunt, jam praeivisse et animo quasi praecepisse videntur. Stat enim ex una parte Schleiermacherus, qui non id solum quaeri contendit, utrum voluptas an cognitio veri plus bonorum vitae humanae afferat, sed universam rerum, quae initium ac finem habeant, explorari atque examinari rationem ac naturam, ut quid in iis firmum et constans sit, quid mobile et fluxum, cognoscatur.<sup>13)</sup> Quam enim in Sophista demonstratum sit, in cognitione nostra mobilia atque immobilia semper esse conjuncta, nunc eundem nexus in rebus omnibus ostendi, quae ab hominibus aut sensu percipi possint aut cogitatione comprehendendi. Quam summi viri definitionem finem dialogo propositum longe transgredi facile intelligas, quum non de rerum omnium sed boni natura hic agi et ex universa disputatione eluceat et ab ipso Platone confirmatum sit.<sup>14)</sup> Neque hoc doctos illos homines fugit, qui Schleiermacherus auctore id quidem recte intellexerant, dialogum non in humano bono indagando acquiescere, ejus vero rationem ita corrigendam esse videbunt, ut non omnium rerum naturam, sed boni aeterni vim ac virtutem quum in universo mundo tum in vita humana conspicuam hic explicari censuerint. In quibus ante alias nominandi sunt Brandisius,<sup>15)</sup> Trendelenburgius,<sup>16)</sup> C. F. Hermannus,<sup>17)</sup> qui vir optime de Platone meritus recte

10) Schol. Olympiod. p. 238. Damascii, quem summa cum laude semper praeceptorum suum (*τὸν ἡμέτερον ταῦτης πόρινον*) dicit, vestigis pierumque instituisse ostendimus in iis, quae de Olympiodoro in encyclopaedia Erschii ac Gruberi olim attulimus.

11) Olympiodorus testatur, tris illos philosophos consensisse, in Philebo disputari περὶ τοῦ τελίκου αἰτίου πάσι τοῖς οὖσιν, ὃ ζει περὶ τοῦ διὰ πάντων διήγοντος ἀγαθοῦ — οὐ δύπον τοῦ ξένησμένου, (de absoluto) ἀλλὰ τοῦ κατ' αὐτὰ τὰ ὄντα θεωρουμένου καὶ ἐφ' ὃ σπεύδει τὰ πάντα καὶ οὐ ξειρανεῖται τὸ γαρ ξένησμένον ἀνέφατον.

12) Ibidem: οὐχ ἀπλῶς τὸ διὰ πάντων ἥπον ἐπιζητεῖ ἀγαθόν, ἀλλὰ τὸ διὰ πάντων ζών τε καὶ μέχρι τῶν ἑσχάτων.

13) Platonis opp. II, 3. p. 127—138. „Wie dort (im Sophisten) von der Vorstellung ausgehend das nothwendige Ineinander des Fließenden und des Stehenden in der Erkenntniß gezeigt wird — so wird hier, von demselben Punkte ausgehend, die Art und Weise des gewordenen Seins näher untersucht und der Ursprung dessen, was in ihm das fließende und beharrliche.“

14) Timaeo magis quam Philebo convenit Schleiermacheri definitio.

15) Docte et copiose, ut solet, de Philebo agit Brandisius in historia philosophiae Graeco-Romanae vol. II, p. 474—495.

16) F. A. Trendelenburg commentatio de Platonis Philebi consilio, Berolini 1837.

17) In Platonicae philosophiae historia, vol. I, p. 532—535. et ann. p. 688—691. „Im Philebus erweitert sich die Vereinigung aller Resultate der älteren Speculation im Lichte der Idee bis zur lichtvollsten Darlegung der obersten Kategorien dieses Systems.“

cognoverat, quaestionem de summo bono in Philebo ita institutam esse, ut philosophus et summa doctrinæ suae principia plane et luculenter exposuerit et, quaecunque priores de rerum natura atque origine docuerint, supremarum suarum notionum, quas ideas vocat, luce collustrata et composuerit et secundum boni recte intellecti normam dijudicaverit. Diversa ab his via primus incedebat Baumgarten-Crusius ὁ μακάριος, qui jam in juvenili sua de Philebo prolusione et immensae illius eruditionis signa, qua omne scientiae genus complectebatur, et pium sincerumque philosophiae amorem atque ardorem ostendit, quo inter plerosque theologos excellebat vir praestantissimus.<sup>18)</sup> Platonem enim nihil in hoc dialogo putabat spectavisse, nisi ut de bono hominibus expetendo dissereret, quamobrem, ubi quid huic quaestioni admixtum invenerat, quod paullo latius patere videtur, id ab eo loco alienum et quasi in transcurso additum esse opinabatur. Ejus sententiam unice probavit Stallbaumus, doctissimus Platonis interpres, qui in duabus suis Philebi editionibus non id in eo agi pronuntiavit, ut quodnam esset bonum summum atque ultimum exquireretur, sed disputari potius de eo bonorum fine, ad quem nobis eniti et contendere licet, ita tamen, ut is ad absoluti boni notionem referretur et compararetur.<sup>19)</sup> A qua sententia non multum abesse videntur Astius,<sup>20)</sup> Zellerus,<sup>21)</sup> Socherus,<sup>22)</sup> qui omnes in quaestione, utrum voluptas an ratio majus sit bonum, disputationis quasi cardinem esse consentiunt. Nam qui ita statuunt, et ipsi non de majore aliquo atque excelsiore bono, sed de eo, quod hominibus optimum ab iisque deligendum sit, cogitasse videntur.

Nobis vero, quamquam Schleiermacheri rationem non omni ex parte probandam vidimus, certe hanc quoque dubitationem obortam esse profitemur, num a Stallbaumo Platonis ratio rectius intellecta sit. Quam dubitationem, quo accuratius et universam Platonis de bono doctrinam et totius dialogi tenorem ac compositionem et ipsius denique philosophi verba exploravimus, eo magis in nobis confirmari sensimus. Nam primum ne id quidem nobis persuadere potuimus, Platonem, quem proxime ante libros de republica Philebum conscripsisse cum Schleiermachero et Hermanno ipse consentit Stallbaumus, eo tempore in quaestione jam in Socraticorum scholis diu multumque agitata de eo, quod homini expetendum sit, tantum artis atque operae consumssisse. Nam in omnibus illis libris, quos redux ab itinere primo in Italianum facto composuit, prorsus diversum a prioribus philosophandi genus observamus. Antea enim quum ethicas primum, tum dialecticas quaestiones satis multas et proposuisset ipse et ab aliis propositas solvere instituisset, ex quo Pytha-

18) De Philebo Platonico dissertatio I. Lips. 1809. „Est vero, quam in Philebo Platonis legimus, de eo, quod felicitatem humanam absolvat, disputatio omnium, quae quidem aetatem tulerint, facile principes.“ p. 14. cf. p. 50.

19) Editio prior Lips. 1820, altera in Platonis opp. omn. Gotha, 1842. Uberrima sunt et doctissima prolegg. p. 3—90.

20) De vita et scriptis Platonis p. 275—298. „Die Frage, ob Erkenntniss oder Lust das Gute sei, wird speculativ aufgefasst und nach den Principien der pythagoreischen Philosophie beantwortet.“

21) Philosophia Graecorum II, p. 162.

22) De Platonis scriptis, Monaci, 1820. p. 294—299.

goreorum doctrinam accuratius cognoverat, id maxime agebat, ut universum philosophiae campum emensus tris ejus partes, quae antea ut disjecta vivi corporis membra jacebant separatae, necessario quodam vinculo connecteret. Quod mutatum ejus consilium haec omnis dialogorum series testatur, cuius quasi chorum ducit Phaedrus; namque in iis et argumenta ita delecta sunt et ipsi ita compositi, ut singuli philosophiae Platonis universae quamvis diversis ex partibus conspectae comprehensionem aliquam exhibeant. Vix igitur credas, philosophum quaestionem illam de boni jucundique discriminé, de qua jam ipse in Gorgia satis plane ac copiose egerat, secundis quasi curis ita retractasse, ut non cogitationem suam ab humanis bonis ad aeterna illa, in quibus bonorum omnium fons et principium est, avocaverit. At video mihi objici posse, ipsum Stallbaumum et quiunque eum sectantur concedere, non bona humana sola et a principio suo disjuncta in Philebo considerari, sed ad absoluti atque aeterni boni notionem referri. Verum enim vero ea, ad quae referri aliquid volumus, et ipsa nobis aliqua certe ex parte nota esse debent; ad talia enim, quorum nullam omnino habemus notitiam, ne referri quidem possunt a nobis ea, quae novimus. Jam vero quum de supremo omnium rerum bono antea nondum vel a Platone vel a prioribus philosophis ita expositum esset, ut jam inventis et paratis ad disputationem suam uti posset, in ipso sane Philebo hoc debebat facere, quo rectius ea, quae in eo de bono humano dicturus esset, ab omnibus intelligerentur. Et fecit profecto; nam ad illius boni, quod supra vitae humanae imbecillitatem atque inconstantiam elatum est, notionem constituendam et longe maxima et subtilissima dialogi pars pertinet. Ad hunc enim finem spectant, quae in exordio de summarum notionum unitate ejusque necessario nexu cum infinita rerum singularum iis subjectarum varietate maximo cum acuminè disputantur, quae deinde de quatuor omnium rerum principiis ita exponuntur, ut Pythagororum doctrina partim probetur partim emendetur, quae porro de origine et animi humani et elementorum corporis ex universi mundi primordiis iisque insita divina mente memorantur, quae deinde de recto bonorum omnium temperamento afferuntur tali modo instituendo, ut coelestia bona quasi descendere videantur in vitam mortalium et cum maximis hominum bonis commisceri. At dixerit quispiam, his omnibus id non effici, Platonem non primo loco de bono humano quæsivisse; nam quaecunque ad universi boni notionem quodammodo explicandam disputata sint, ea non alio consilio adduci, nisi ut id, quod hominibus maxime expetendum sit, in clarissima luce ponatur. Similiter in tragœdiis, etiamsi deorum voluntas saepe aut ab ipsis aut per interpres significetur et aeternae illae leges proponantur, quibus mortalium vita regenda sit, primas certe partes non deorum esse sed hominum, ad quorum fata et dirigenda et dijudicanda adducantur omnia, quae de divina voluntate enuntientur. Insuper primarium illud dialogi argumentum et ab initio colloquii distincte a Socrate significari et iterum sub finem ita definiri, ut nullus dubitationi locus relictus sit.<sup>23)</sup> Quamvis vero haec argumentatio alicui haud improbabilis videatur, nos quidem a Plato-

23) p. II. 67. Φανέτος ἄλλου τρίτου χρείτονος τούτοις ἐστάθη, μνημόνῳ γ' αὐτὸν ἡδονῆς οἰκειότερον καὶ προσιγνέστερον λέγεται νῦν τῇ τοῦ νικῶντος ἰδέα.

nis ratione prorsus alienam esse existimamus. Ille enim divina atque humana non ita inter se secernenda esse et separanda censuit, ut et in vita et in tragoeadia, quae vitae humanae aliquam imaginem exhibet, vulgo fieri videmus, sed postquam accuratius rerum humanarum divinarumque rationes cognovit atque intellexit, eas aeterno quodam nexu et communione perpetua contineri, etiam bona illa, ad quae homini enitendum esset, diversa non esse perspexerat ab iis, quae ex summo omnium bonorum fonte non solum in genus humanum, sed in omnem hanc rerum universitatem numquam non redundarent.<sup>24)</sup> Ubicunque igitur eo tempore, quo jam ad hanc rectiore cognitionem pervenerat, de bono disserit, ibi nec de Socratis neque de Antisthenis vel Aristippi neque omnino de humano bono cogitat, sed de illo in quo rerum omnium et fontem et finem esse viderat. Quodsi philosophus in Philebo conscribendo nihil egisset, nisi ut de eo dissereret, quod hominibus expetendum fugiendumve esset, evolare quidem ei paullisper licebat in sublimes istas aeterni boni regiones, unde nonnullas divinae lucis scintillas repeteret et ad hominum vitam trudiceret; maximam vero eamque gravissimam operis partem in his rebus insumere non licebat. Concedendum igitur est, Platonem aut noluisse de humano tantum bono agere, aut in eodem dialogo, in quo justum rerum omnium modum eximie laudat, parum praecepti sui memorem ultra omnem modum in campum ab illo argumento alienum excurrisse et rectam materiae suae distribuendae et dispensandae rationem prorsus neglexisse. Nam si justa disputationis via progressus explicasset, id quod in medio fere colloquio Socrates per aliquid tempus agit, quae et voluptatis et scientiae origo esset ac natura, quae utriusque genera et partes, quae denique et voluptates et doctrinae aliis puriores atque honestiores ideoque maxime expetendae et ita evicisset, neque in voluptate scientiae experti neque in veri cognitione omni voluptate destituta summum bonum esse possum, sed vitam hominum tum demum vere vitalem esse, si ex utraque bene mixta et temperata esset, jam munere suscepto tam bene fuisse perfunctus, ut haud facile quidquam in argumentatione desideraretur. Quaecunque igitur ad hanc ex aliis philosophiae locis addita sunt, et sunt sane satis multa, ea alii majorique fini inservire existimandum est. Quamvis enim non possimus non concedere, magnopere interdum Platonem in gratissimo digressionum atque excursionum lusu sibi placere, attamen neque alibi umquam ita a supra operis notione, mali artificis instar, discedit, ut non ea quoque, quae a re aliena esse videantur, maxime ad illius aliquam partem explicandam pertineant, neque vero in hoc dialogo eum id sibi indulsisse opinandum est, qui a plurimis aliis severo suo ac stricto et disputandi et dicendi genere plurimum differt. Illis vero Platonis verbis, quibus indicari videtur, circa quaestione de voluptate ac scientia totum versari colloquium, non impellimur, ut in iis universum argumentum exhaustum quasi esse putemus; neque enim nos fugit, eum iis quaestionibus, quas ab initio colloquiorum proponere soleat, quasi scalis saepe uti,

24) Bonum humanum ab aeterno ac divino omnino a Platone non separari recte viderunt et C. F. Hermannus in dissertatione de idea boni, 1833, p. 5. et Trendelenburgius (cf. n. 16.) „Hoc igitur omnino Platoni proprium est, ut rerum singularium cum universo nexus et consensum spectet; nihil Platoni solitarium, nihil adeo minimum est, ut non altius quid sapiat et divinam universi naturam quasi speculi imaginem repraesentet.“

per quas ad majora usque sublimioraque adscendat cognoscenda, neque, si quis in his supremam dialogorum notionem ponat, eum scriptoris sententiam semper perspexisse. Quis enim hodie in Gorgia vel Phaedro de recto tantum artis oratoriae usu, in libris de republica nihil nisi de civitate recte instituenda atque administranda, in Sophista unice de definitione sophistarum agi existimet, quamvis ab hisce rebus disputationem suam exordiantur colloquentes? Sed quid plura? Nonne ipsius Platonis testimonium habemus, quid in dialogo spectaverit? Postquam enim singulas summi boni partes descripsit, illam justi modi naturam, cui primum in temperamento suo locum adsignat, in hac rerum universitate ubique menti magis quam voluptati conjunctam ac propriam videri affirmat;<sup>25)</sup> quo dicto omnino testatur, se non id solum quaerere, quod in vita mortalium, sed quod in universo mundo optimum sit. Et quamquam summum bonum una notione comprehendi non posse recte intellexerat, tribus certe illis notionibus, in quibus omnem boni, quod homines cognoscere possint, vim ac virtutem esse viderat, pulchritudine, convenientia, (*συμμετρία*) veritate, in unam quasi naturam conjunctis bonum aeternum atque absolutum quodammodo definire conatus est.<sup>26)</sup> Cognoverat igitur bonum illud divinum, unde singula quaeque bona orientur, non ita esse arcanum atque absconditum, ut nec manifestum omnino ex parte aliqua fieri neque sui aliquid cum rerum omnium hominumque natura communicare posset;<sup>27)</sup> tantum scilicet a nimia ista recentiorum quorundam philosophorum modestia aberat, qui omne de rebus divinis judicium cohiberi jubebant.

Nos igitur notionem boni divinitus et cum omnibus, quae sunt in mundo, communicati et finem ac modum imponentis infinitae quum omnium rerum tum affectuum cupiditatunque animi humani varietati summam quasi ac cardinem dialogi esse putamus, unde omnia aptissime videmus nexa. Cum ea quomodo omnes disputationis partes egregie convenient ad eamque explicationem singulae aliquid conferant, mox pluribus ostendetur. Nunc id unum addimus, tunc demum, si hunc operi finem, hanc rationem posueris, nihil in eo otiosum et a proposito alienum videri. Neque in hac definitione novas illas amplissimasque notiones neglectas esse censeo, quibus primum in hoc dialogo usus est Plato, ut summum et rebus omnibus finem et generi humano bonum ostenderet. Nam novum sane est, quod boni naturam maxime in modo ac mensura ponit, sine quibus neque pulchrum quidquam neque verum vel justum esse potest; novum, quod et res omnes vult ex finitis infinitisque constare et hoc ipsum contrariorum temperamentum vi et causa quadam su-

25) p. 65. μετὰ τοῦτον ἐπισκεψόμεθα, εἰδὲ ἡδονὴ εἶτε τῷ νῷ προσφύεστεον καὶ οἰκείοτεον ἐν τῷ παντὶ ξυνέστηκεν. Quod si quis obloquatur, τὸ πᾶν hic non omnem rerum universitatem, sed totum illud significare, quod ex humani boni partibus mixtum sit, ei respondemus, etiam in proximis notionem modi non ad bona humana tantum adhiberi, sed ad omne mixtorum genus. Κατέργου καὶ τῆς ξυμμετέοντος φύσεως μὴ τυχοῦσα ἡ τισοῦν καὶ ὁ πωσοῦν ξύγχωσις πᾶσα ἐξ ἀνάγκης ἀπόλλυσι τὰ τε περιγράμματα καὶ πρῶτον ξενιήν. Accedit, quod, si de universo mixto ageretur, ἐν αὐτῇ (τῇ ξυμμετέοι) dicendum fuit.

26) p. 65.

27) Non erat igitur, quod Baumgarten — Crusius ita ab abstrusa illa, quam dicit, et obscura summi boni cum rebus mundanis *zōiōrū* et μεθέξει abhorreret; (p. 16.) nam vere Platonica est illa communionis divinorum et humanorum notio.

periore effici, unde omnia omnibus bona orientur; novum, quod duram voluptatis rationisque pugnam, quam in Gorgia descripserat, non vult diversam esse ab illa finiti atque infiniti oppositione, quae in omni rerum natura observetur, rectum vero voluptatem cum scientia miscendi modum et perfectam, quae hoc modo efficiatur, et virtutem et felicitatem ad illum finiti atque infiniti in omnibus nexum revocat; novum, quod in hoc nexus ad certas leges justamque rationem moderando pulchritudinis notionem ponit, quae boni absoluti et imago sit et quasi interpres; novum denique, quod, uti ipse mundus neque infinitis totus nec finitis sed mixtis utrisque constet, ita ne scientiam quidem, cui maximam saepe dignitatem attribuerat, ad perfectam beatamque vitam sufficere dicit, nisi voluptatis aliquid admixtum esset. Quarum sententiarum quomodo initia quidem ex Pythagoreorum doctrina recepta sint, sed partim ipso Platonis ingenio purgata, exculta, perfecta, partim ex aliis aliorum philosophorum placitis aucta et emendata, in sequentibus demonstrabitur. Namque ut in Parmenide ac Sophista principia philosophiae Eleaticae minus refutari quam comprobari et explicari videntur, hac ipsa vero explicatione ea, quae in iis minus recte vel perspicue dicta fuerunt, corriguntur, sic in Philebo id potissimum consilium Plato persecutus est, ut vera quidem illa, quae satis multa in Pythagoreorum dictis esse cognoverat, et probaret et iis ad suam doctrinam vel augendam vel confirmandam uteretur, falsa vero et quomodo corrigenda essent ostenderet et ipse corrigeret, id quod jam in Politico<sup>28)</sup> et Phaedone<sup>29)</sup> ex parte aliqua facere cooperat.

## Caput II.

### De Philebi compositione.

Disputationem suam Socrates egregie cum mundo vel ordine quodam comparat, qui quamvis ipse corporis expers in corpus pulchre animatum dominetur.<sup>30)</sup> Quod quamquam de rebus

28) Mihi quidem in illo Politici loco, (p. 284—85.) quo disputans contra eos, qui quum omnia tum virtutem numeris mensurisque confici putent, vulgari huic metiendi arti, quae tota circa numeros ac spatia versetur, excelsiore illam opponit, quae homines justum ac decorum et definire et eligere rectumque inter contraria modum tenere doceat, Pythagoreos (quos hic, uti Gorg. p. 493. non sine irrisione aliqua ζομφων ἄνδρας nominat) tangere videtur, quos numeris omnia composuisse satis constat. Quamvis igitur ex Pythagoreorum doctrina passim ibi nonnulla receperit, minime tamen concedimus Stallbaum, (prolegg. ad Polit. in Plat. opp. IX, I. p. 35. sqq. totum illum dialogum sapientiae Pythagoricae plenum esse; cf. prolegg. nostra vol. III, p. 605. sqq.)

29) Ex Pythagoreorum sane rivulis dictum istud emanavit, quod a Simmia Philolai sectatore in Phaedone (p. 91—95.) defensum Socrates sagacissime refutat, animam non per se esse aliquid, sed partium corporis aliquem concentum, (*εγκροτής*) quam ineptiam opinionem secundum Platonem etiam Aristoteles (de anima I, 4.) acerrime exagitat. Quum vero nihil sub luna novi fieri soleat, non admodum miramur, puerile illam sapientiam nuper a quibusdam, qui se naturae exploratores jactant, et revocatam esse et talibus, qui, quum res ipsae eos semper fugiant, verba ac nomina auctorantur, faciliter venditata.

30) p. 64. έμοι μὲν γὰρ καθαπέρει κόσμος τις ἀσώματος ἄρξων καλῶς ξμψύχου σώματος ὁ νῦν λόγος

magis atque argumentis, quam de dialogi artificio ac compositione dictum est, de hac tamen idem omnino censendum videtur. Nam corpus quidem dialogi, ut comparationem illam persequamur, ornatum suo et pulchritudine minime carere consentient facile omnes, qui eum et legerunt aliquando et recte intellexerunt; quamquam haec ipsa pulchritudo minus dulcis ejusdam et venustae, quam severae austeraeque Musae videtur esse opus. Ut vero corpora pulchra non dicimus, nisi cuncta eorum membra, dum mentis iis insitae vel divinae vel humanae imperio unice parent, ad unum finem conspirent unaque communi lege contineantur, sic in universo opere notionem illam primariam, quam modo proposuimus, mentis instar ita in omnes ejus partes videmus dominantem, ut nihil non ad eam illustrandam accommodatum sit et comparatum. Namque et personarum, quae colloquii partes agunt, delectus, et ornatus operis atque apparatus, quamvis parce et modice adhibitus sit, et partium distributio mutuusque nexus, et dicendi denique disputandique genus hic, ut in aliis omnibus Platonicis dialogis, summam illam rationem et sequuntur et ubique ostendunt, probant, illustrant. Quapropter ut boni poëtae argumentorum, quae tractanda deligunt, varietatem maxima formarum varietate aequant atque exprimunt, ita ut, quamvis sint iidem, semper novi esse videantur, sic divina Platonis ars diversis rebus et diversa semper dicendi genera adhibet et partium diversas rationes et distributiones accommodat. Primum vero ut poëtae optimi scenici non alias inducere solent personas, nisi quae et aliquam supremae rationis, quam in componenda fabula secuti sunt, partem exprimant et ad actionem eam, ex qua singula quaeque in ea pendent, adjuvandam et promovendam aliquid conferant, ut tempora denique et loca actionibus deligunt opportuna, sic non minoris profecto aestimanda est Platonis in his omnibus rebus ars ac sapientia. Nam summa semper diligentia pro consilio suo homines deligit, quibus colloquiorum partes attribuat et quot qualesque esse debeant recte constituit, tum etiam maxime accommodate sermonibus tempora sua et loca ponit. Quae omnia quomodo in Philebo instituerit et cur hic diversum a plerisque aliis dialogis consilium secutus sit, jam paucis exponamus.

Ut Plato in plerisque dialogis, etiam ubi majorem colloquentium numerum inducit, tris eorum deligit, qui gravissimas disputationis partes peragant,<sup>31)</sup> sic in quibusdam, quorum compotio est simplicior, totum colloquium inter tris distribuit. Id quod semper sapienti consilio ita eum facere videmus, ut aut duo diversa ratione contra Socratem disputent aut unus eorum magis ad philosophum inclinet et medium quasi inter hunc atque tertium illum, qui ab eo longissime distat, locum teneat. Hoc quum in Charmide, Cratylo, Thæteteto inveniamus, ubi viris multum a Socrate diversis Critiae, Cratylo, Theodoro juvenes et veritatis maxime curiosi et ipsius Socratis studio impulsi apponuntur Charmides, Hermogenes, Theaetetus, illud et in Menone videmus, quo

*ἀπιογάσθαι φαίνεται.* Acumen, quod est in vocabulo *ζόμως*, quippe quo modo mundus ipse vel ordo quivis rerum mundo quedammodo similis, modo ornatus, modo imperium, quo et exercitus continentur et civitates, significetur, nec latina lingua nec nostra satis assequi possunt.

31) Sic in Phaedone Socrates cum Simmia et Cebete, in libris de republica cum Glaucone et Terasymacho amplissimas disputationis partes absolvit.

in dialogo et juvenis iste Thessalus et Anytus doctrinam summi philosophi aut non intelligunt aut intellectam adsperrnantur, et quodammodo in Philebo observamus, ita quidem, ut haec ratio paullo propius ad alteram accedere videatur. Hic enim magna circumsedente juvenum corona<sup>32)</sup> duo juvenes eidem Hedonicorum, quos dicunt, doctrinae addicti Aristippi ejusque sectatorum opinionem acriter defendunt, voluptatem summum esse bonum, quae opinio, si qua alia, Socratae virtutis definitioni repugnabat. Sed quamquam hic dialogus non aequa atque illi descriptione morum ad vivum expressa excellit, attamen dissimillimae utriusque juvenis naturae non sine arte atque elegancia adumbrantur magis quam depinguntur. Nam Philebus, cuius nihil nisi nomen novimus,<sup>33)</sup> juvenis est non solum pulcher,<sup>34)</sup> sed, ut voluptatis cultori convenit, mollis ac delicati ingenii, ita ut, quum disputando scilicet defessus colloquii partes suas Protarcho paullisper tradiderit, eas numquam ipse recipiat, sed tum demum paucis verbis sermones interpellet, quum aut longius a proposita de bono quaestione, ultra quam nihil aliud ipse postulat, disputatio aberrasse et Socrates ex ambagibus ad rectam viam revocandus esse videatur,<sup>35)</sup> aut nimis philosophum vel mentem laudare vel voluptatem contemnere putet.<sup>36)</sup> Tam pertinax enim est voluptatis sectator, ut deam suam dicere et sancto Veneris nomine nominare non dubitet.<sup>37a)</sup> Simulatque vero opinionem suam argumentis a Socrate allatis infringi sensit, veri impatiens a colloquio omnino recedit, id quod identidem Protarchus eum facere jussерat, ne aut exclamando aut nequicquam obloquendo disputationem turbaret.<sup>37b)</sup> Quam alienus a philosophia sit, ipse ostendit eo loco, ubi libenter concedit, voluptatem et gradu et multitudine esse infinitam, quum, nisi infinita esset, non omne illa bonum contineret,<sup>38)</sup> parum scilicet de vera infiniti natura eductus. Ceterum reliquis juvenibus, quos magistri instar liberos suos nominat,<sup>39)</sup> et aetate paullo provectione esse videtur, ita ut etiam, quod feliciter conject ex Socratis dictis Stallbaumus, Protarchi exstiterit amator,<sup>40)</sup> et aliquam apud eos auctoritatem habere, ut solent, qui pertinacius aliis sententias suas quamvis falsas defendunt. Quod si quis miretur, quod ab homine, cuius tam exiguae sint partes, non a Protarcho dialogus nomen invenerit, causa hujus rei fuisse videtur, quod in causa suscepta ille multo constantior Socrati adversarius fuit Protarcho. Hic enim, filius Calliae, qui num dives ille sophistarum amicus atque hospes

32) p. 16.

33) Si quis factum Philebi nomen putare velit, quo pulchritudinis cupiditas quodammodo significetur, ego admodum dubito, num umquam Plato nomina fixerit; namque ubi personas ipsas fingit, ne nomina quidem illis attribuit, ut et Eleatico in sophista et politico et Atheniensi in libris de legibus hospiti.

34) p. 11.

35) p. 18.

36) p. 22. 28.

37a) p. 12. 26.

37b) p. 12. 15. Φιληβον χράτιστον μὴ κωτεῖν εὖ σελμενον, de quo proverbio cfr. Stallbaum ad h. l.

38) p. 27. οὐ γὰρ ἀν ἡδονὴ πᾶν ἀγαθὸν ἔν, εἰ μὴ ἀπειρον ἐπύγχανε περιουσός καὶ πλήθει καὶ τῷ μᾶλλον.

39) p. 16. Quamobrem Protarchum jocose appellat Socrates: ὁ παῖ ἐκείνου τὰγδρός. (p. 36.)

40) p. 53.

ex Protagora satis notus fuerit, non definimus,<sup>41)</sup> quamquam et ipse Aristippi doctrinam defendebat et rhetoricae Gorgiae artem ut omnium artium dominam ac reginam eximie admiratur,<sup>42)</sup> minus tamen mollis amico non, ut ille, seria et subtiliora reformidat, sed lubenter Socrati et aures et animum praebet. Cujus acumen et artificium dialecticum initio quidem nondum intelligit, adeo contra eum nunc Protagorae,<sup>43)</sup> nunc eorum, qui eristici vocabantur,<sup>44)</sup> more disputare conatur, et, si quid novi atque inauditi ex illius ore auditit, facile animo confunditur et perturbatur,<sup>45)</sup> hac ipsa tamen confusione et dubitatione, ut saepe contigit Socratis auditoribus, ad rectiorem cognitionem excitatur et praeparatur. In ipso enim colloquio crescit animo et fit veri capacior, ita ut interdum ultro non sine acumine afferat, quae maxime ad rem pertinere videantur<sup>46)</sup> et postremo Socratis consilium et sententias, priusquam ille enuntiaverit, facile et praecipiat et ipse sat satis recte explicet.<sup>47)</sup> Sic igitur, quamquam nondum omnem in fine dubitationem de summo bono deposuisse videtur,<sup>48)</sup> Aristippi tamen castra deseruit, in quibus Philebus, divinis summi philosophi verbis nihil permotus, constantissime commoratur. Ipsum vero Socratem, etsi imaginem ejus multo minus vivide descriptis atque expressit, quam in Phaedro, convivio, Phaedone, quos dialogos non multos ante Philebum conscriptos putamus, eum tamen similiter atque in illis inducit sententias Platonicas proprio plerumque suo colloquendi et disputandi genere exponentem. Nam in multis omnino rebus verum agnoscimus Socratem. Videmus enim in eo pietatem illam, qua, dum a diis omnia bona repetit,<sup>49)</sup> vel sancto quodam de rebus divinis horrore motus vel quod purius et rectius de iis quam vulgus hominum cogitabat, deorum nomina nominare plerumque veretur;<sup>50)</sup>

41) Uno loco filius Calliae nominatur, (p. 19.) qui si vere nobilissimus ille civis fuit, filius, voluptatis quidem defensor, sed sciendi cupidissimus et ad philosophiam propensus, haud sane patri erat dissimilis.

42) p. 85.

43) Quod Protarchus (p. 12) voluptatem a voluptate diversam esse negat nec varia ejus genera statuit, hac quidem in re minus Megaricos, ut vult Stalbaumus, sed Aristippi scholam sequitur, quae nihil voluptatem a voluptate differre jactabat. (D. L. 2, 87. μὴ διαφέρειν τι ἡδονὴν ἡδονῆς μηδὲ ἡδίον τι εἴναι.)

44) Eristicorum sane, qui a Zenone Eleatico motus ac multitudinis adversario originem ducebant, pueriles istae erant artes hic a Protarcho et Socrate memoratae, (p. 14.) quod idem et unum et multa esse dicebant et propter diversas ad diversa ejusdem rei relationes et quia unum corpus multis constaret partibus; cfr. Parmen. p. 129.

45) Haec est illa ἀπορία et ἄγραφα, in quam se conjectum esse confitetur p. 20. 21. 28.

46) Huc maxime pertinet, quod quatuor principiis rerum quintum addendum esse sagacissime vidit, quo res omnes dirimerentur et discernerentur, (p. 23) quod cur hic Socrates non persequatur infra exponetur.

47) Plus semel sub finem (ut p. 65. et verum et decorum saepe a voluptate abesse intelligit) continuo sermone recta profert.

48) Quam dubitationem ultimis verbis ita exprimit, ut colloquii continuationem postulet, eam circa quaestionem de necessitate ad vitam voluptatis usu et dignitate maxime versari facile intelligitur.

49) Pietatem eandem, qua motus Socrates et omnium rerum originem a supra sapientissima mente repetit, eosque, qui Democriti placita secuti omnia coeco quodam casu confitata esse dictabant, graviter reprehendit, (p. 28) et ea tantum bona nominat, quae dils grata sint, (p. 40) aurcis illis apud Xenophonem de rebus divinis dictis (memorab. I, 4.) simillime enuntiat.

50) p. 12. In obtestationibus eum hac religione pulsum pro diis modo canem, Aegyptiorum deum, (Gorg. p. 482) modo alia posuisse satis notum est.

delectamur haud raro gratissimo lusu, quo jocosa et ludicra seriis adspexit<sup>51)</sup> et eorum, quibus cum colloquitur, errores facetissime deridet;<sup>52)</sup> audimus hominem vere popularem, qui saepe vel proverbiis vel comparationibus orationem suam suaviter exornat,<sup>53)</sup> qui exempla sua a rebus vulgaribus plerumque et quasi in trivio positis desumit, qui modo nos ad opifices eorumque negotia deducit,<sup>54)</sup> modo ad vilia adeo ac turpia describenda descendit.<sup>55)</sup> Neque illud a Socratis ipsius mente ac ratione alienum est, quod naturae scientiam justo magis contemnit,<sup>56)</sup> quamquam, quod dicit, eam non in rebus aeternis et constantibus, sed in ortis atque interituris versari, Platonicem magis est quam Socraticum. Maxime vero in illis eum agnosceremus, quae et de divinae curae ac providentiae signis in universo mundo manifestis et de mentis humanae cum supraena mente omnem rerum universitatem permeante nexu disputat, nisi hic quoque ex Pythagoreorum atque Anaxagorae doctrina aliqua accessissent.<sup>57)</sup> Nihilominus hic, ut in aliis ejusdem temporis dialogis, multo plura et in rebus et in dicendi genere inveniuntur, quae cum Socratis ipsius ratione minus convenient. Huc jam istud pertinet, quod, ubicunque ille novas easque gravissimas enuntiat sententias, eas ab ipsis diis vaticinio quodam acceptas refert,<sup>58)</sup> qua arte Platonem haud raro usum esse videmus, ut ea, quae a Socratis ingenio aliena invenisset ipse, significaret.<sup>59)</sup> Ut vero omittamus accuratissimam universae Graecorum philosophiae notitiam, quae Socrati hic attribuitur, quamquam ille ne voluerat quidem eam sibi comparare, id certe maxime ab ejus

51) Istud σεμνύνειν έν τῷ παιδί, quod Socrates p. 28. sibi vindicat, vere est Socraticum; cf. p. 30. ἀνάπαντα τῆς αποῦλης γλγηται έντοτε ή παιδία, quae verba quum vocabulum proxime praecedens γνωστης, ludibrii causa contra omnes etymologiae leges, scilicet ut notiones τοῦ γέρους et τοῦ νοῦ uno verbo coniungentur, formatum tangere videantur, eo minus monstrum illud a Schleiermacher sollicitandum erat.

52) Sic facetissime ipse Aristippus, quum voluptatem motum dixerit, opinionem suam, bonum esse voluptatem, quodammodo irridere dicitur p. 54.

53) Cf. quae infra de orationis genere afferentur.

54) p. 55, 56 Hunc ejus morem acerbe Critias, (Xen. memorab. I, 2, 37) jocese Atcibiades (conviv. p. 221.) derident.

55) Ut in scabie describenda, (p. 46.) qua eadem comparatione, ut voluptatem foedam et cum dolore junctam significet, in Gorgia utitur p. 40.

56) p. 59. cf. Xen. memorab. I, 1, 11. Socrates ipse rejiciebat naturae scientiam, quia ad vitae utilitatem nihil fere eam conferre putabat.

57) Quae Xen. memorab. I, 4. de divina providentia disputantur ita, ut nostrae mentis cum divina cognitio egregie laudetur, (cf. IV, 3, 14.) ea simillimus verbis hic (p. 29, 40) exponuntur, quamquam, quae de mente supraena omnem rerum naturam permeante afferuntur, Anaxagorae, quae de principio summo finita atque infinita recte miscente et temperante, Pythagoreorum doctrinam sapiunt.

58) Sic quod in summo bono componendo tertium vult esse mentem et rationem, divinationi attribuit (p. 66) et maxime hic, ut in Phaedro, laudat dicta, quae philosopha quaedam musa sanctis ejus vatibus inspiraverit. (p. 67. cf. p. 20.)

59) Bene F. Susemihl in recensione introductionum mearum Platonicarum Klotzii annalibus (vol. 57. fasc. 4. p. 417 – 437) inserta observavit, Socratem apud Platonem tum maxime se a vatibus aliquid accepisse dicere, si talia, quae a Socratica doctrina aliena vel ultra eam sita sint, proferat, id quod ei Phaedri effatis plurimis et fabula Diotimae in convivio relata et loco Menonis ēē animae per infera migratione (p. 81.) comprobatur.

consilio abhorret, quod, quum ipse scientiam et summum semper bonum dixisset et in ea ipsam virtutem posuisse<sup>60)</sup> hic evincit, scientia sola homines non esse posse felices, nisi etiam voluptatis aliquid accedat. Non magis Socraticum hoc est, quod omissa saepe obstetricia ista arte, quam sibi propriam esse et dictabat et ostendebat, quasi impatiens colloquii tum continuo sermone multa auditores et docet et usque ad finem ea perducit, tum audientium responsa ne exspectat quidem, sed ulro quasi secum ipse disputans animo praecipit, quo celerius in disserendo pergere possit. Haec omnia si comprehendimus, inter tris dialogi personas tris illos de summo bono cogitandi sentiendique modos, qui maxime inter se diversi vulgo inveniuntur, optime esse distributos videmus. Nam recta boni cognitio justumque temperamentum quum sit Socratis ejusque divinae sapientiae, Philebi exemplo voluptarii isti homines notantur, quorum numerus maximus et tunc erat et nunc est, qui sensibus affectibusque suis dediti neque verum quidquam habent, nisi quod sensu possint percipere, neque bonum, nisi quod ipsorum sensibus placeat. Inter utrumque positus Protarchus hominis est exemplum ad meliora auspice rectiore doctrina enitentis, sed nondum ita de summo bono edocti, ut externis omnibus bonis spretis unice id appetat, quod et veram solum secum fert felicitatem et mortales ad deorum similitudinem extollit. Versatur igitur in lato opinionis modo recta modo falsa consequentis campo; melior vero Philebo jam inde videtur, quod artem oratoriam, ut quae non auribus tantum blandiatur, sed etiam animum capiat, regat, teneat, maximi aestimat, quamobrem civilis sane, quam Plato dicit, virtutis satis capax habendus est.<sup>61)</sup>

Omnino vero quum hic dialogus non solum grato ornatu a locorum hominumque descriptione repetito, sed etiam vivida illa actione, cuius vim et progressum in plerisque Platonis operibus et in animis disputantium varie affectis et haud raro prorsus mutatis et in gestibus motibusque corporum cernimus, maxime careat, colloquii species quidem servata, ipsum vero genus tantum non omissum esse videtur; qua in re nulli sane libro similior est quam Timaeo, quamquam non ita prorsus, ut hunc, Philebum omni morum variorumque affectuum descriptione destitutum esse modo vidimus. Locus quidem, in quo res agitur, hic non magis indicatus est, quam in sophista et politico;<sup>62)</sup> conjicias vero, fuisse palaestram, in quam ad Socratem audiendum multi, ut solebant, juvenes discendi cupidi confluxerint, eum non dimissuri, priusquam quaestionem propositam ad aliquem finem perduxerit.<sup>63)</sup> Neque certius de tempore constat, quo colloquium habitum fingatur, quum neque ipsi illi duo juvenes satis noti sint, neque unquam, qua in rerum condicione vixerint, memoretur. Omnino vero magis hic Platonem ad discipulos suos circa ipsum congregatos in

60) Memorab. III, 9, 4. Aristot. eth. Nicom. VII, 3. eth. Eudem. I, 5.

61) Non male Olympiodorus: ὁ μὲν Σωκράτης ἔστηκε κατὰ τὸ ἐπιστημονικόν τε καὶ διανοητικόν, ὁ δὲ Πλάτων κατὰ τὸ δοξαστικόν, ὁ δὲ Φίληβος κατὰ τὸ ζωῶδες. (p. 239. St.)

62) Possit quidem putare, hos duos dialogos, quum continent Theaetetum, in eadem, qua hic, palaestra habitos fingi; at sedulo a talibus rebus describendis in iis abstinuit Plato.

63) p. 19.

Academiae hortulis verba facientem, quam Socratem cum amicis disserentem nobis videmur audire. Quae quum ita sint, hoc quidem Schleiermacherus speciosius quam verius videtur judicasse, quod dicit, paullo negligentius in hoc opere elaborasse Platonem et, quamvis de voluptate dicentem, eum injucundo quodam molestiae sensu ita videri tangi ac premi, ut Socratem suum induxit nihil fere magis concupiscentem, quam ut tandem aliquando dimitteretur. Neque enim negligenter, sed, ut solet, diligenter admodum certoque consilio orationis luminibus et ornatu illo, quem alibi larga distribuit manu, hic iisdem fere rationibus ductus parcior usus est, propter quas in sophista et politico si-millimum dicendi et disputandi genus delegerat. Nam quum in Philebo non minus, quam in illis, ars exerceatur dialectica, quamvis ad alium quasi agrum traducta, quidquid disputationis vel severum purumque tenorem turbare vel progressum interrumpere posset, remotum esse voluit. Accedit quod in dialogo, ubi et de summo bono disputandum esset et pura ac justa voluptas a falsa atque impura discernenda, nullum orationis genus argumento aptius erat, quam sobrium illud et severum omniue nudum ornatu. Nam si quis putaverit, eum hic non minus, quam in Timaeo et in libris de legibus, suam ambagium illarum, per quas in colloquiis circumducamus saepe, impatientiam indicasse et specie ac forma dialogi servata propriam ejus artem consulto neglexisse, quia eam ad subtiliorem philosophiae doctrinam non sufficere intellexerit, eum recordari velimus, in libris de republica, quos proxime post Philebum scriptos esse infra demonstrabimus, et omnem illam ornatus magnificentiam ac varietatem, quam hic desideramus, et actionem vigoris atque affectuum plenam inveniri, unde satis appetet, eo quidem tempore colloquiorum componendorum necessitatem, quam scilicet ipse sibi imposuit, nondum admodum aegre eum tulisse.

Jam igitur videamus, quot quibusque partibus constet dialogus et quam apte ad supremam ejus notionem explicandam dispositae sint. At quaerat fortasse aliquis, quo jure a nobis laudetur artificiosa operis compositio, in quo ne illud quidem, quod ipse Plato praeceperit, ut nec initio nec fine oratio careat,<sup>64)</sup> recte observatum sit? Nam neque ab initio disputatio illa Philebi et Socratis, num voluptas an scientia praferenda sit, videtur omittenda fuisse, praesertim quum ad eam saepius in sermonibus colloquentium revocemur, neque prorsus absolutum et perfectum est colloquium, quum et Socrates ipse Protarcho pollicitus sit, se crastino die de singulis voluptatibus aliqua esse additurum, et in fine iterum iterumque ab eo moneatur, ut promissis suis stare velit.<sup>65)</sup> Quapropter quum dialogus mediae in trilogia quadam tragica tragediae, quam utrimque ad actionem et inchoandom et absolvendam duae ejusdem argumenti fabulae cingunt, haud dissimilis esse videatur, facile eo adducamus, ut aut cum Patricio<sup>66)</sup> alias sive duos sive plures dia-

64) in Phaedro p. 264.

65) p. 50. 67. In ultimis verbis C. F. Hermannus recte ex codicibus hand contemmndis *απερεῖς* restituit pro *ἀπαρεῖς*, quod quamquam defendit Stallbaumus, vix tamen ita dici potuit, Socrates si Protarcho morigerari nollet, sed aliquid certe hic respondere debebat, ne legentes colloquium non finitum putarent.

66) Franc. Patricii discussiones Peripateticae, p. 338. cfr. Stallb. prolegg. p. 10.

logos, in quibus eadem materies tractata sit, a Platone vere scriptos opinemur, temporum vero injuria interiisse, aut cum Astio putemus, eum cogitasse quidem de iis conscribendis, sed nescio quo casu impeditum captum consilium omissose, subita vero et tumultuaria quadam opera primas horum omnium dialogorum lineas descriptsse, diligentius scilicet curis secundis explendas et perpoliendas; quam ob causam etiam hunc, qui superesset, librum omni ornatu ita carere, ut rudi indigestaeque moli similis videretur, Astius censem. At ut mittamus vanam istam de Philebo non satis diligenter elaborato opinionem, quam supra satis jam a nobis refutatam existimamus, quis tandem Platonem crediderit poëtis tragicis ineptius egisse, quorum nemo facile in trilogiis componendis ab ea, quae media esse debebat, conscribenda atque edenda initium faciat? nam non lineas tantum disputationis, sed ipsam disputationem in eo exhiberi etiam illi vix negabunt, qui justo minorem in eo artem operamque positam esse putant. Neque vero similius est veri, dialogos gravissimi argumenti et cum Philebo proxime conjunctos, quum Platonis libris tantum non omnibus fatorum pepercerit benignitas, ita deperisse, ut eorum ne Neoplatonici quidem aliquam habuerint notitiam. Qui ipsi jam rectius de hac re judicaverunt; nam ut frigidam et vanam eorum sapientiam omittamus, qui dialogum imitari quasi somniabant supremum illud bonum, quod et ipsum infinitum esset et initio aequa ac fine careret,<sup>67)</sup> multo tamen minus Olympiodori sententia displicet, qui colloquium ab utraque parte non prorsus perfectum esse putat, ut indicetur, humana bona non esse summa, sed ultra ea esse multo augustiora, in quibus humanorum et initium quaerendum sit et finis.<sup>68)</sup> Cui rationi quamquam aliquid lusus istius admixtum est, cui indulgentes Platonici saepe non proximas rerum causas indagant, sed in omnibus arcanae cujusdam sapientiae signa rerumque divinarum vestigia odorantur, hoc tamen recte intellexerat Olympiodorus, a Platone eas disputationes, quae hic et initio et sub finem indicatae essent, bono et recto consilio et omissas esse et ostentatas, quo magis inde eluceret, philosophum summum hujus dialogi finem neque in voluptatis et scientiae dignitate examinanda, de qua inter Philebum et Socratem jam antea audiimus disceptatum fuisse, neque in statuendo recto singularum voluptatum, quae ad vitam necessariae essent, usu, id quod in fine Protarchus postulat, sed in bonorum divinorum humanorumque communione posuisse.<sup>69)</sup> Quum igitur cognoverimus, nullam operi partem ad perfectionem deesse, eo magis nobis et admirari licet et explicare partium rationem maxime cum summo ejus fine convenientem. Nam egregio artificio, ut in omnibus Platonis libris, sic hic quoque partes inter se et dispositae sunt et interdum implicatae,<sup>70)</sup> ita ut mirifice alia aliam adjuvet atque extollat, univer-

67) Olympiod. ap. Stallb. p. 238. Quis auctor hujus opinionis fuerit, non indicatur.

68) Cf. I. I. Ceterum etiam hic Olympiodorus se Damascium sequi profitetur.

69) Idem fere Stallbaumi de hac re est judicium, (p. 9.) quamquam, si nos, ut ille, in summo bono humano explicando dialogi finem positum esse censeremus, haud ita facile ferremus, promissam de singulis voluptatibus disputationem non additam esse.

70) Socherus, qui de arte in dialogo a scriptore collocata Astio et Schleiermacheri multo rectius judicat, tortuosam quidem in eo disputationis viam esse concedit, sed in his ipsis flexi itineris ambagibus ejus pulchritudinis magnam partem inesse censet. [p. 297.]

sae vero ad supremam notionem egregie conspirent illustrandam. Quia in re haud dissimilem antiquis tragœdiis rationem in iis observamus; nam ut illis sensim et personarum affectus atque actiones purgari solent et signa divinae providentiae, quae res mortalium ad exitum actionibus eorum dignum perducit, clarius usque ex tenebris emergunt, ita in dialogis Platonicis per singulas partes ut per gradus ad finem operi propositum tendimus, ut ipso disputationis cursu notio illa suprema, in qua versatur illustranda, primum errorum quasi sordibus purgetur, tum praeparetur, confirmetur, ex diversis locis ostendatur, denique in clarissima luce posita pura et perfecta appareat.

Illi vero, qui quot et quae Philebi partes discernenda essent inquisiverunt, tris fere esse consentiunt. Namque Olympiodorus in prima parte et quæstiones proponi, de quibus disputandum sit, et rationes afferri dicit, quibus solvi possint, eaque in re Socratem et syllogismis maxime et divisionibus uti, tum in altera rectiore quasi itinere progredientem demonstrare, mixtam voluptate et scientia vitam optimam esse, in ultima denique rem prorsus confici et similibus, ut in prima, argumentis evinci.<sup>71)</sup> Perspexit igitur, primum dialectice magis disputari, deinde ita ut res, de qua agitur, et ad rerum omnium et ad mortalium naturam referretur, denique iterum dialectice, sed subtilius et accuratius, quæstionem tractari atque absolviri. At neque addidit, quo usque singulae partes pertinerent, neque omnino earum rationem mutuumque nexus recte intellexit. Socherus vero, qui, ut ipsius verbis utar, dialogum parte metaphysica, dialectica, psychologica constare dicit, neque ad demonstrandam sententiam suam quidquam attulit, neque ordinem partium recte constituit, neque denique discrimen aliquod disciplinae metaphysicae et dialecticae, quod apud Platonem certe nullum est, debebat excogitare. Nobis vero non tres, sed, id quod in aliis quoque nonnullis dialogis fieri vidimus, quinque partes discernenda esse videntur. In exordio enim, cujus finis et iterata Socratis de summo bono quæstione et admonitione, qua Protarchum compellat, ut nihil veritate antiquius habeat, satis designatur, (p. 14, c. cap. V. Stallb.) primum in medias res ita rapimur, ut quæstio jam inter Socratem et Philebum agitata omnino relinquiri et ampliori disputationi campus patefieri videatur. Simul, ut in tragœdiarum prologis haud raro jam primarum partium actores producuntur, quo auditores statim ab initio eorum mores cognoscant, sic nobis tres illæ, quae disputationis agunt partes, personæ ostenduntur; videmus enim et Philebi pertinaciam, qua deae suae sive voluptati sive Veneri victoriae palmam defert, et Socratis pietatem, qua suam multo celsiorem deam rationem veneratur, et Protarchi animum dubitantem et inter contraria fluctuantem, turpi quidem errore affectum, sed ad meliora recipienda paratum. Ut vero in prologis haud raro instans proximo tempore actionis exitus jam quasi ex longinquò ostenditur, sic jam hic emergit suspicio, neque voluptate neque cognitione summam homini felicitatem parari, sed tertium aliiquid utroque majus et melius esse quærerendum. Quod ut inveniri possit, nec voluptatis nec cognitionis notiones simplices habendas esse atque absolutas indicatur, sed varias utramque species continere, ita ut aliae aliis perfectiores sint neque omnes aequo jure expetendae. Ne ve-

71) Olympiod. p. 238. qui etiam refert, Proclum quindecim dialogi capita posuisse.

ro haec disputatio fundamento suo careat, mentio injicitur, posse aliquid et unum simul esse et multa, quod qui negare conentur, eos omnino non audiendos esse. Sic transitus est factus ad partem alteram vel ipsius argumentationis primam, in qua et esse aliquid et voluptate et cognitione melius ac superius et quale illud sit ostenditur quidem, sed subtilius nondum explicatur. Quam disputationis partem continuari videmus usque ad illum locum, quo ad rem accuratius investigandam novis omnino rebus atque artibus opus esse Socrates affirmat. (p. 23, b. cap. X, St.) In ea praecipue infiniti notio ejusque cum uno et multis nexus et explicatur et ad quaestionem propositam quodammodo adhibetur, ita ut duplex sit argumentatio. Primum enim contra illos disputatur, qui vel uni statim infinita opponant, (qui quales sint infra ostendetur) vel nullam omnino rationem secuti ut philosophantes adolescentuli et unum multa et multa unum esse affirment quidem, sed non possint evincere. Hi omnes jubentur per multitudines notionum et ab uno ad infinita descendere et ab his ad illud adscendere; namque omnes notiones vel ideas in se et unitatem habere et multitudinem, quum generibus singulis variae subjunctae sint species, iisque omnibus et enumeratis et recte cognitis demum infinita aliquo modo posse comprehendendi. Sic igitur homines cogitando rebus singulis et numero et natura infinitis, dum ad universas notiones revocent, modum et finem ponere. Neque ab hac sententia isti abhorrire dicuntur, qui et finitis omnia infinitisque mixta esse et numeros medio quasi in loco inter unum atque infinita positos censeant ad eosque omnia in universa rerum natura revocanda. Non esse igitur, quod de infinitis verba faciamus, priusquam universum rerum, quae sint inter unum et infinita, numerum cognoverimus. Quod si quis secus agat et vel multa vel infinita uni ita opponat, ut ab hoc ad illa ne transiri quidem possit, eum eristicum esse, non dialecticum. Sic Plato non solum evicit, quod antea affirmaverat, plura esse et voluptatis et cognitionis genera, sed etiam praeparavit sententiam in tertia parte diligentius persequendam, et in rebus omnibus et in vita humana finita atque infinita mixta esse ita, ut haec ab illis regantur et contineantur. Jam vero, (inde a cap. X.) ut interdum in prima tragœdiae parte actio fere ad exitum perducitur, mox vero impedimentis retardatur ejusque progressus rebus, quae ab ea alienae videntur, interrumpitur, sic disputatio hic citato cursu ad finem suum properare videtur; ostenditur enim, nec voluptatem sine cognitione neque hanc sine illa expetendam esse, adeo ne esse quidem posse unam sine altera, eamque ob rem neutri primum praemium decernendum, sed vitam non esse vitalem nisi ex utraque recte mixtam ac temperatam; mixtae igitur vitae palmam esse deferendam. Quodsi philosophus hoc unum egisset, ut ostenderet, quid hominibus optimum esset, jam hic addere debebat, quae voluptates et quarum rerum cognitiones qua lege inter se ad vitam recte feliciterque gerendam miscenda essent; quo facto quaestio tam bene esset soluta, ut nulla fere legentibus relinqueretur dubitatio, quale vitae genus optimum esset habendum. At altius evolat disputatio; nam quum ratio cum voluptate misceri non possit, nisi vis aliqua superior utriusque temperamento oriuntur, causam indagandam colloquentes aggrediuntur, qua in re tertia versatur colloquii pars jam in exitu secundae verbis illis praeparata, quibus Socrates affirmat, mentem summo illi bonorum principio multo sane similiorem videri voluptate. — In tertia igitur parte

Socrates universam rerum naturam contemplatus ubique, ut in vita humana, finita infinitis mixta inventit et copulata, utraque vero suprema mente, quae omnia sapientissime et composuerit et disponuerit, regi et contineri. Sic haec argumentationis pars duobus capitibus absolvitur. Primum enim quatuor illae finiti, infiniti, mixti, causae notiones, quae omnium quasi fundamenta habenda sunt, afferuntur, explicantur, ad propositam quaestione ita adhibentur, ut voluptas ad infiniti, scientia ad finiti, vita optima ex his conjunctis orta ad mixti genus revocetur, mentem denique humanam, quippe quae imperio suo voluptati natura sua infinitae modum et finem imponat, supremae illi causae similem atque affinem esse indicet. Simil illae notiones, quas Pythagorei in numerorum natura et legibus maxime conspici invenerant, et ad aeternam immobilemque istam Eleaticorum essentiam (quo vocabulo jam Cicero *οὐσίαν* reddidit) et ad perpetuum omnium rerum ortum (*γένεσιν*) atque interitum, quem Heraclitei docebant, ita referuntur, ut finitis essentia, ortus atque interitus infinitis attribuatur, utroque vero mixto, id quod non sine superiore aliqua causa procreatrice fieri possit, singula quaeque et gigni ostendatur et servari. (— 28, b. cap. XVI.) Ipsius vero causae procreatrixis natura dum in secundo capite exploratur, eam non esse diversam ostenditur a summo bono et a divina mente, quae omnem rerum naturam complexa sapientissime regat atque administret, quae infinita ubique finitis, varietatem unitate coercent et contineant, quae ad certas fixasque leges et ad justum ordinem omnia revocet, quae denique sui quasi imaginem rebus imprimat pulchritudinem, quam admiramus, ubicunque rerum multarum varietas una iis insita ratione et lege continetur et temperatur. Hujus vero divinae mentis nostram particulam quandam esse indicatur eodem modo quo corporum nostrorum elementa ex illis, quibus haec rerum universitas constet, et gignantur et nutriantur. Satis appareat, hanc partem ibi finiri, ubi Socrates se ad voluntatis et cognitionis et originem et sedem exquirendam transire dicit. (p. 31, b. cap. XVII.) Ceterum, ut saepe in mediis fere dialogis Platonicis disputatio in rerum principiis versatur cognoscendis et ad summum quasi calmen adducitur, uide sensim ad inferiora descendamus, ita haec tercia Philebi pars longe amplissima est et gravissima, ut ex ea cognoscas, quo totum colloquium pertineat. Dum enim et vitam humanam iisdem, quibus mundum universum, legibus regi et mentem hominibus insitam divinae cognatam esse ostenditur, non solum suspicamus, supremum aliquod bonum esse, unde bona omnia orientur, sed etiam, quale sit illud, divinatione aliqua concipimus et ab hac terrestrium rerum inconstantia paulisper ad coelestia atque aeterna erigimur contemplanda. Id quod jam ipso dicendi genere philosophus significat. Nam vatis instar, qui divina responsa se accepisse profitetur, Socrates primum Pythagoreorum illam de finitis atque infinitis doctrinam ita exponit, ut arcana quaedam et recondita sapientia ab ipsis diis antiquitus cum hominibus communicata esse videatur; tum simili modo Anaxagorae sententiam, omnia una mente et formari et regi, quia adducta supplentur, quae Pythagoricae philosophiae ad rectam summi principii cognitionem deerant, ut jam antiquis hominibus notam ab iisque ad posteros traditione traductam proponit. Ubique vero in hac parte notiones non more Socratico ex audientium animis elicuntur et procreantur, sed iis jam ut sat notae ac certae traduntur accipiendae. In quarta colloquii parte ex his sublimioribus regionibus, unde rerum omnium ex summo bono origines atque causas aliquantum prospicere licebat, ad vitae

humanae mobilitatem et varietatem revocamur. Namque ut ostendatur, quomodo in vita mortalium infinita finitis temperanda sint, inde ut mixtum illud exoriatur, in quo verum inesse bonum jam ante intellectum est, primum ipsius voluptatis et origo et natura exquiritur, tum demonstratur, veras et falsas, puras atque impuras discernendas esse voluptates et has in infinitum evagari, illas vero, dum imperio rationis parent, fine modoque cohiberi; denique variae scientiae species enumerantur et pro dignitate sua recte aestimantur, quo melius etiam finiti natura cognoscatur. Haec omnia quum praemittenda essent, quo rectius intelligeretur, optimam vitam humanam voluptate cum scientia mixta constitui, hanc partem perductam esse putamus usque ad initium boni ipsius ex illis sui quasi elementis comprehendendi, (— 59, cap. XXXVI.) quo facto disputatio tandem ad finem suum recta via persequendum redit.

Quamquam vero quarta haec colloquii pars, quae maximo ambitu res plurimas gravissimasque complectitur, plerumque in talibus versatur quaestib; quae ad humana tantum bona cognoscenda pertinere videntur, multa tamen ei quoque addita videmus, quae nobis illam bonorum divinorum humanorumque communionem ostendant, in qua summam colloquii putamus inesse. Primum enim, ubi de voluptatum origine ac natura agitur, disputatio a corporis affectibus ad animi voluptates ac dolores progreditur, simul vero evincit, et ipsam voluptatem aliquam certe boni similitudinem habere, quippe quae ex restituta recta vitae naturae ratione et convenientia oriantur, et voluptatibus iis, quae animum quodammodo tangant, jam aliquid memoriae, cogitationis, cognitionis admixtum esse, ita ut ne possit quidem a scientia divelli voluptas. (— 39, e. cap. XXIV.) In altera parte primum ostenditur, alias veras purasque, alias falsas et vel impuras omnino vel certe mixtas cum dolore esse voluptates et causae illius discriminis explicantur; tum post falsas atque impuras rectae puraeque describuntur, quae jam proxime ad bonum accedant ejusque partem aliquam habere et possint et debeant, quibus expositis apparet, non magis cognitionem voluptate quam hanc illa carere posse. Ut vero boni oratores adversariorum refutationes iis orationum locis immiscere solent, ubi jam ipsa argumentatio illos quodammodo devicit, sic hic simul et Aristippi sectatores castigantur, qui voluptates neque quidquam inter se differre et aequae bonas, adeo sumnum bonum esse opinabantur, et Antisthenici, qui omnem rejiciebant atque aspernabantur voluptatem, nihil scilicet reputantes, se postulare, quae naturae humanae omnino repugnarent, quamvis aliqua ex parte splendide laudati, sagacissime refutantur. (— 55, b. cap. XXXIV.) In tertia denique parte altera eaque amplior et gravior vitae recte compositae et temperatae pars explicatur, quae in vero versatur cognoscendo. Quamobrem variae et cognitionis et artium, quarum fundatum et principium est cognitio, species hoc ordine enumerantur, ut primum afferantur quae ad vitae usum ac necessitatem pertineant, in quibus eae, quae certam veri scientiam ducem ac magistrum habeant, ab iis distinguuntur, quae conjecturam verique similitudinem sequantur; tum puriores illae et doctrinae et artes proponuntur, quae in numeris et mensuris rerum cognoscendis versantur ipsaque magis minusve purae sunt ac perfectae, prout aut in variis rebus externis vel numerandis vel metiendis occupantur aut a rebus abstractae atque avocatae ipsas numeri modique leges perscrutantur; supra omnes denique artium omnium regina extollitur dialectica, ut quae sola

omnes alias et recte cognoscere possit et aestimare et in iis, quae semper eodem modo sint, in aeternis supremisque notionibus vel ideis et in summo divinoque bono unice commoretur atque habitet, prorsus illa diversa a vulgari ista arte rhetorica, cuius regnum, quum non verum sed veri speciem atque umbram aliquam aucepatur, neque vera bona sed ea tantum curet, quae utilia esse videantur, et latissime apud homines pateat et imperium obtineat certissimum. Jam quum ars dialectica quam maxime indigeat mente ac ratione et omnes ad eam quasi nervi cogitationis intendendi sint, appareat inde, scientiam et mentem summo bono magis esse cognata quam voluptatem vel purissimam, quamvis ne illa quidem sola summum bona efficere possint. (— 59, c. cap. XXXVI.) Sic universa haec de voluptate et scientia disputatio ab infinitis ad finita, ab imperfectis, impuris, non recta ratione mixtis ad perfecta, pura, simplicia vel justo modo temperanda, a talibus, quae a summo bono maxime abhorreant, ad ea, quae ad illud proxime accedant, constanti pergit progressu, ita ut, quemadmodum in universa rerum natura res singulae diversis maxime gradibus atque intervallis a bono supremo distant et rectae naturae descriptioni hic semper itineris cursus tenendus est, ut per gradus illos atque intervalla recte observata nos ad perfectiora usque cognoscenda adducat, sic universum vitae humanae campum emensa tandem in aeternis bonis acquiescat, quae pura tantum et a rerum singularum inconstantia avocanda cogitatione quodammodo possint cognosci. — In ultima denique colloquii parte, quae ejus quasi actionem absolvit et perficit, mixtum illud tertium describitur, quod tota, quae praecedit, disputatio et exquisivit studiosissime et praeparavit. Fit vero hoc ita, ut ostendatur, ad vitam bene beateque degendam primum quidem cognitionem cum purioribus voluptatibus recte esse miscendam, deinde vero ad has duas partes, quibus hominum bonum ac felicitas constituantur, etiam aeterna ac divina bona accedere debere, quorum cum humanis communicatione bonum istud, ad quod homines pervenire possint, plane perficiatur. Simul eadem illa aeterna bona ita nobis proponuntur, ut in iis omnium rerum et causam et summum bonum ac finem esse intelligamus. Primum igitur, quemadmodum duae boni humani partes inter se temperandae sint, demonstratur; (— p. 64, b. c. XL.) deinde tres illae boni divini partes afferuntur, quarum cum rebus omnibus communione ad finem suum perducantur, quaecunque aliquam earum partem habeant, modus, pulchritudo, veritas; (— p. 65, a. c. XLI.) denique ostenditur, quomodo haec aeterna bona et vitae humanae quasi imaginem sui imprimant et ab hominibus, quo justam beatamque vitam vivant, et possint et debeant recipi. (— 67, b.) Sic primum de bonis humanis, tum de divinis, denique de utrorumque communione agitur. Ut vero ex infinitis et finitis inter se mixtis suprema rerum omnium causa singula quaeque gignit, ita hic ex bonis humanis, quorum maxima est varietas et divinis, quae quum sint simplicia atque absoluta illis fines modosque statuant, dum supremum bonum intuemur, vitam vere vitalem neque divinae vitae dissimilem et naturae humanae convenientem rite esse componendam ostenditur.

Quum igitur operis partes et universae et in se ipsis singulae eo ordine dispositae sint, ut, dum a minus perfectis ad perfectiora progrediantur, nihil omissum esse videatur, quod ad summam ejus rationem clarissima in luce ponendam pertineat, haud minore sane artificio philosophus hoc instituit, ut eadem illa partium dispositio nos grata quadam et sententiarum et ser-

monis varietate delectaret et convenientiam eam ostenderet, in qua primam pulchritudinis legem esse in ipso colloquio ostenditur. Primum enim exordium et exitus ita inter se nexa sunt et conjuncta, ut totum opus quasi in orbem coeat. Nam solutam ex omni parte in fine videmus quaestionem ab initio propositam, et quum primo adversarii duo producti essent inter se de summo bono humano disputantes, in exitu evidenter apparet, quamobrem neuter recte judicaverit, quum boni rationem neque ad naturae humanae naturam satis examinaverint neque supremi illius boni recordati sint, sine quo nihil hominibus boni esse potest. Quod vero in prima parte conjiciebat Socrates, esse aliquid et voluptate et mente majus et melius, id quale sit in fine clarissime elucet; tum quod initio leviter indicabatur, omnes notiones et varietatem aliquam in se habere et communi quodam unitatis vinculo contineri, id in fine tam late patere intelligitur, ut etiam summi boni non possimus notionem animo concipere nisi talem, in qua aliqua partium varietas insit, quum ejus quasi species afferantur modus, pulchritudo, veritas. In tribus vero illis colloqui partibus, quibus ipsa argumentatio conficitur, duplex observavimus artificium. Primum enim eorum quaeque ita est composita, ut in ea duo diversa disputationis genera inter se conjuncta et quasi mixta sint, uolum subtilius et accuratius, alterum simplicius, minus strictum atque ita comparatum, ut argumenta minus ex disciplina dialectica, quam ex vitae usu atque experientia desumantur. Sic ubique conspicitur communio illa rerum humanarum atque aeternarum, quam disputantes exquirunt. In secunda igitur parte colloqui primum quaestio de uno, multis, infinitis in dialectorum scholis saepe excussa movetur, quam statim sequitur descriptio duplicitis vitae et voluptatis et rationis, quarum neutram ostenditur homini sufficere posse. Non minus in parte tertia subtilissimae de quatuor rerum principiis expositioni attexta est pia illa rerum humanarum contemplatio, qua eae quum ex universa rerum omnium natura tum ex supra causa aeternaque divina mente repetuntur. Inverso ordine in quarta parte disputatione incipit a voluptatis dolorisque origine explicanda et multis allatis exemplis ad leges naturae et humanae et universae revocanda; deinde vero, ubi ad varia scientiae genera progreditur enumeranda, multo strictior fit et subtilior. Inter se autem hae partes hac lege dispositae sunt, ut quarta secundam quodammodo excipiat et continuet; nam incepta ibi descriptio vitae aut secundum voluptatem aut secundum rationem instituenda licet absolvitur et per omnes partes explicatur. Interrupta vero haec descriptio fuit ea parte, quae, quum universae disputationis principia et fundamenta contineret, in medio totius colloqui loco rectissime posita est, quia omnes quasi ejus radii ex hoc centro et oriuntur et in illud redeunt. Nam principia tria quidem, finita, infinita, mixta jam in altera parte aliquo modo indicantur, dum unum ibi infinito opponitur, utrumque vero multitudine conjungitur; uno enim finita, multitudine mixta significantur, quum multitudinis notio ex unius atque infiniti notionibus quasi composita sit. Quae vero in vita humana sint finita, infinita, mixta, id in quarta ostenditur parte. Sed quum nihil omnino in rebus vel humanis vel externis recte constare certum sit, nisi summum aliquod principium sit, quo omnia contineantur, mens vero illa divina a summo bono non diversa hoc sit principium, contemplatio ad sublimes illas regiones evecta res humanas ita collustrat, ut supra mixtam ex ratione et voluptate vitam et veritatem divinam et pulchritudinem positam esse intelligamus, ex quibus summa in mortalium vitam

bona redundant. Sic vera principiorum natura tum demum recte cognoscitur, postquam ex eadem tercia parte, in qua causae notio supra tria illa principia ponitur, hoc quoque cognitum est, causam supremam, quae finita atque infinita recte misceat, in divina mente, inexhausto et omnium bonorum et mentis rationisque humanae fonte, esse quaerendam. Primum enim patet, veram infiniti sedem in singularum rerum inconstantia ac varietate et in perpetuo illo, quem ubique videmus, ortu et interitu, finiti in notionum universarum, quibus singula comprehenduntur, constantia atque unitate ponendam esse, singula quaeque vero ex his duobus quasi elementis componi. Deinde quum in natura humana mens et cognitione finiti, voluptas infiniti locum obtineat, rectam vitam ex utraque miscendam esse intelligitur. Tum in ultima parte, dum exponitur, quomodo divina bona humanis admiscenda sint, illa his ut finita infinitis ita opponi videmus, ut non solum voluptatum sed etiam scientiae varietas unitate divinae et veritatis et pulchritudinis et aeterni modi contineatur. Denique in ipso summo bono infinita quodammodo a finitis discernenda esse indicatur magis quam enuntiatur; nam pulchritudinis notionem, quae ita est comparata, ut non sine varietate aliqua partium possit cogitari, notio modi vel unitatis supremae quasi comitatur perpetuo et certis limitibus circumscribit, ita ut in veritate, quae tertio loco affertur, utrumque conjunctum appareat. Omnibus vero illis et finitis et infinitis quamvis diverse intellectis mens una divina praeest eaque ut inter se variis modis coeant et miscentur efficit.

Toto vero dialogo perlustrato in ejus compositione idem fere iter descriptum vidimus, quo Plato ipse ad puriorem usque veri cognitionem progressus erat. Incipit enim disputatio a sententia Socrati propria et peculiari, in scientia et summum bonum esse et veram virtutem; sed ut Plato jam in primis illorum dialogorum, quos vivo Socrate composit, intelligere cooperat, solam cognitionem non sufficere ad recte vivendum,<sup>72)</sup> sic etiam hic doctrina illa relicta statim majus aliquod et perfectius bonum quaerit. Quamquam igitur non minus severe hic, quam in Gorgia, jucunda bonis, voluptati rationem opponit, plenam tamen et perfectam vitam non omni voluptate carere posse, sed mixtam ratione et purissima voluptate vitam optimam esse eo rectius intellexit, quo magis doctrinam Socraticam multis in rebus augendam et perfectius constituendam esse cognoverat. Quod ut recte faceret, primum dialecticas illas quaestiones de uno et multis, de perpetuo omnium rerum motu et ortu vel interitu, quem Heraclitei praedicabant et de immota unius absoluti, quod omnem in se οὐσίαν contineret, quiete, quam Eleatici jactabant, aliasque his similes iterum iterumque movendas esse intellexit, ex quibus quae profecerat, hic paucis ipse verbis initio argumentationis vel in secunda earum, quas statuebamus, partium comprehendit. Namque eadem illae de notionum universarum et unitate et varietate de earumque ad res singulas iis subjectas relatione quaestiones et dubitationes, de quibus in Cratyllo, Parmenide, sophista actum videmus, hic ita tanguntur, ut certissima jam omnique dubitatione soluta philosophi de his rebus constet sententia. Ipse vero quum in dialecticorum artibus et rationibus cognoscendis atque explorandis veram illam artem dialecticam invenisset, quam in sophista, politico, Phaedro et describit et ex-

72) Cfr. Prolegg. nostra ad Hippiam minorem, vol. I, p. 97—110.

ercent,<sup>73)</sup> in Pythagoreorum sapientia perscrutanda diligentissime versatus ex eaque multa utilia lucratus est. Quamobrem in tertia dialogi parte Pythagoreorum more finitis vel numeris ac modis atque infinitis omnia constare evincit, ipse vero dialectica sua arte adjutus duplaci modo doctrinam illam corrigit et supplet; primum enim rectius illis, quid sit finitum atque infinitum, explicat, tum finitum Socratico more ad boni notionem revocat et supremam illam Pythagoreorum unitatem, ex qua finita omnia oriri putabant, ipse et summum bonum nominat et, dum Anaxagoram simul sequitur et corrigit, divinam mentem, quae res universas regat recteque disponat, neque a summo bono neque a supraeva unitate vel, ut ipse dicere solet, a divino idearum loco diversam esse intelligit. Sic quidquid veri rectique a philosophis ante Socratem inventum erat, non servare solum et inter se apte nectere et colligare, sed etiam suo ingenio augere, amplificare, illustrare, ad supremas, quas ipse invenerat, notiones examinare et disponere instituit; id quod in tribus illis dialogis egit, quos primos, quamvis aliquot annorum intervallis, conscripsit, ex quo in Academia docere coepérat, Phaedrum dico, convivium, Phaedonem. Et quod ibi ostenderat, mentem humana cum divina ita nexam esse, ut et ipsa aeterna esset et divinae naturae particeps, id hic in tertia parte ut rem certissimam proponit, in duabus vero ultimis ad vitam humanam animique naturam rectius et cognoscendam et instituendam adhibet. Namque in quarta parte, ut in Theaeteto cognitionis initia descripserat et ad leges animo insitas revocaverat, eadem prorsus ratione hic voluptatis dolorisque originem ex natura humana explicat, et ut ibi per omnes nascentis cogitationis et cognitionis gradus usque ad supremas rerum notiones vel ideas pervenerat, sic hic voluptatis modos et gradus usque ad puram et perfectam animi beatitudinem persequitur, quae et ex pulchri aspectu et ex veri cognitione oritur; simul varia scientiae genera, quae ibi nondum distinxerat, hic et enumerat et describit. Quae in re dialecticam suam artem, sine qua philosophiam nullam esse posse viderat, non solum physicorum doctrina, ut quae circa mobilia atque inconstantia versetur, sed etiam arithmeticā geometricaque arte, quas omnium supremas Pythagorei putabant, multo superiorem esse contendit. Quae vero in exitu et de ipso summo bono et de ejus cum bonis humanis communione affert, eorum nihil ex alienis emanavit fontibus, sed maxime sunt Platonica, quibus ad subtiliores illas et de bono divino et de ejus vestigiis ac signis quum universae naturae tum menti humanae impressis disputationes, quas in libris de republica et in Timaeo invenimus, via quasi munita est.

Hanc argumenti gravitatem atque ubertatem ipso orationis genere tam bene Plato expressit, ut hic quoque divina illa ars, qua rebus et sententiis verba semper atque orationem accommodat, nullo modo desideretur. Nam subtili simul atque accurato et nervoso ac severo, adeo sublimi interdum dicendi genere usus comparationum quidem et descriptionum omnisque illius ingenii lusus, quo plerosque dialogos gratissime solet exornare, admodum parcus est neque fabulam aliquam sermoni admiscuit, quales in Phaedro, convivio, Phaedone, libris de republica inveniuntur suavissimae. Dialectica vero argumenti subtilitas quum orationem pressam, densam, acutam non minus

73) Cf. prolegg. ad sophist. vol. III, 457—461.

quam omni ornatus copia et luxu nudam postulare videretur, simillimo ei, quo in sophista usus est, sermone Philebum composuit, ita ut, nisi aliae obstant rationes, utrumque dialogum eodem fere tempore conscriptum esse facile censeremus. Accuratus vero opus perlustrantibus nobis orationis genus medium quodammodo inter Timaeum et sophistam locum tenere visum est; nam dialecticum acumen, quo maxime dialogus excellit, egregie mystica quadam ac solemni gravitate temperatur, qua Socrates, quasi divinorum effatorum interpres, reconditam saepe sapientiam enuntiare videtur; qua in re simillimus est Timaeo, qui totus hoc tenore atque ingenio est compositus. Scilicet in utroque dialogo arcana illa Pythagoreorum, qui divinos sese vates iactabant, doctrina enarratur, cui aptius sane dicendi genus deligi non poterat. Et cum saepe dictum sit, Platonem eo magis in philosophia excelluisse, quo major in eo vis quaedam poëtica fuerit, qua instructus uno saepe luminis ictu obscuras et difficiles cognitu vitae divinae humanaeque regiones illustraverit, hoc suum admirabile ingenium in hoc quoque dialogo numquam non prodit. Nam quamquam neque comparationes nec descriptiones vel narrationes copiosius expositas operi attexuit, latent tamen saepe et in verbis ab ipso delectis et in breviter indicatis comparationibus et in omni orationis colore et tenore recondita, ut ita dicam, lumina, quae si recte eliciamus atque interpretemur, sententiarum difficultas saepe iis egregie solvit atque illustratur. Etiam hac in re, quamquam in sophista similia legimus, multo magis sane Philebum ornatum invenimus. Accedit, quod et in ipsis vocabulis et in eorum constructionibus haud pauca ita vel nova vel novata hic observamus, ut cum sermone quasi luctari videatur scriptor, quo subtilius atque acutius novas suas sententias exprimere possit. Neque omnino modestum quandam et bene temperatum verborum lusum repudiavit, sed admiscuit interdum talia, quibus severitas illa et gravitas, quae in toto regnat dialogo, jucundissime paullisper mitigaretur. Quae omnia, quo melius Platonis artificium perspiciatur, jam exemplis nonnullis comprobabimus. Comparationes quum plerumque aut rebus minus cognitis vel minus expeditis sententiis illustrandis et noto quodam signo significandis aut nimiae argumenti subtilitati jucunde variandae inserviant, eo elegantius compositae sunt habendae, quo clarius per eas ut corpus per pellucidam vestem id, quod significandum erat, cognoscimus et quasi oculis cernimus. Qua in re non minus felices, quam summi recentioris temporis philosophi, (quis enim Kantii, quis Hegelii comparationes et aptissimas saepe maximeque perspicuas et interdum magnificentissime exornatas ignoret?) et Plato fuit et Aristoteles, quamvis diversam prorsus in hac re uterque rationem sectari soleret. Maximopere vero in hoc dialogo philosophus ea, quae aut jejuna et subtilitate sua frigida aut nimis ab hominum oculis animisque remota esse viderentur, tam bene plerumque exemplorum delectu exornat atque explicat, ut vel acutissime severissimeque propositae sententiae hoc grato lusu vivere ac spirare videantur. Nam ut omittamus exempla ab arte grammatica et musica aptissime repetita,<sup>74)</sup> quibus ostendatur, quomodo infinita singularum rerum varietas non generis statim unitati opponenda sit sed ad species quasdam numero definitas revocanda, nulla sane re et memoriae vis et ea animi facultas, quae visa memoriae imprimit, felicius illu-

74) p. 17.

strari poterat, quam ita, ut illa cum tabula, in qua visa inscriberentur, haec cum pictore comparatur, qui imagines rerum in tabula depingeret.<sup>75)</sup> Quae comparatio si nobis hodie minime nova videtur esse, Platonem certe primum eam usum fuisse veri est simillimum. Quid vero sagacius excogitari poterat, quam si sensuum perceptio, in quem actum corporis animique affectus quasi concurrunt, subitae alicui concussioni, qua, ut terrae motu, cuncta simul moveantur, similis esse dicitur?<sup>76)</sup> quid significantius, quam quod placitum illud, unum idem esse ac multa, quippe quod in omnibus rebus inveniatur, perpetuo cursu per omnem rerum universitatem discurrere dicitur?<sup>77)</sup> quid elegantius, quam si vel voluptatem cum pulchro juvete, quem amatorum laudes incitent, ut de praemio in publicis certaminibus luctetur,<sup>78)</sup> vel finita et infinita cum duobus cursoribus, quorum unus alterum fugientem semper persequatur et assecutus cogat subsistere,<sup>79)</sup> vel ipsum summum bonum, quod omnibus unice sit expetendum, et inferiora illa bona, quae ad illud valeant consequendum, cum amati atque amatoris nexu comparat?<sup>80)</sup> quid convenientius, quam quod, ubi de miscenda cum ratione voluptate exponit, hanc cum melle, illam cum aqua comparat, memor scilicet aquae mulsa nec vino miscendae, qua severissimis deabus furiis Athenienses libare solebant?<sup>81)</sup> Omnino vero hac similitudine a potu recte temperando repetita non minus saepe hic utitur, in quo de contrariis miscendis identidem agit,<sup>82)</sup> quam in Timaeo, ubi de rerum omnium creatione et compositione exponit.<sup>83)</sup> Satis ingeniose etiam istam de perpetuo rerum omnium motu et quasi flumine doctrinam rapidi amnis instar ferri indicat, ut subitum ejus impetum effugere difficillimum sit.<sup>84)</sup> Praeterea haud raro aptissime comparationes disputationi admiscet jam satis a multis scriptoribus usurpatas, quae vel a re nautica,<sup>85)</sup> vel a pugilatu et omni certaminum genere,<sup>86)</sup> vel ab auguriis cultuque deorum,<sup>87)</sup> vel denique ab anti-

75) p. 39. De vera hujus exempli ratione infra aliqua afferemus.

76) p. 33, d.

77) p. 15, d.

79) p. 23, a.

79) p. 24, d.

80) p. 53, d.

81) p. 61, c. cf. Soph. Oed. Col. 481.

82) p. 25, d. 50, b. 61, c. et in tota ultima dialogi parte.

83) p. 35, a. b. 42, d.

84) p. 43, a.

85) p. 13, c. εἰς τὸν αὐτὸν φερόμεθα λόγον. p. 14, a. καπεῖται σωζόμεθα ἐπὶ τυρος ἀλογίας; quae phasis ultimam naufragorum salutem indicat.

86) Huc pertinet disputationis vel cum pugilatu vel cum bello comparatio saepe iterata, ut p. 14, b. 22, d. e. 23, a. 27, d. (ἢ νικηφόρος βίος) 28, d. 58, b. (τὰ ὅπλα ἀπολιπεῖν).

87) p. 67, b. optime eos, qui voluptatem summum bonum rati animalium vitam felicissimam habere debeant, cum auguribus comparat, qui non Musae afflato impulsu sed avibus unice confisi vaticinia sua enuntient. — p. 61, b. in bono recte temperando vel Vulcani vel Bacchi auxilium implorari jubetur, hujus ut vini bene

quis fabulis<sup>88)</sup> desumi solebant. Saepe vero similitudine uno verbo leviter indicata rei alicujus naturam optime exprimit.<sup>89)</sup> Maxime autem hoc pertinet, quod notiones vel omnino res vitae expertes quasi vivae et ratione ac voluntate praeditae afferuntur, qua re orationis severitas suavissime saepe mitigatur.<sup>90)</sup> Et proverbiorum<sup>91)</sup> et versuum poëticorum<sup>92)</sup> ornatu modice quidem, sed aptissime utitur. Neque non interdum more suo ludit in verbis aut contrariis<sup>93)</sup> aut

semper temperandi dispensatoris, illius non solam ut deorum pincernae, sed etiam, ut videtur, ut artis metallorum miscendorum magistri.

88) Theuti Aegyptiorum sive dei sive divini hominis ut literarum inventoris commemoratio (p. 18, 2.) et itineris in Aegyptum a Platone facti et Phaedri (p. 274.) memoriam revocat. Uberrimam vero illam inventam a Pythagoreis, a Platone excultam sententiam, omnia uno ac multis constare, quae in se et finem et infinitum insita habeant, Promethei cuiusdam donum una cum clarissimo igne mortalibus coelo delatum dicit; (p. 16, c.) nimirum utilissimam illam ad dialecticam suam artem esse cognoverat.

89) p. 12, c. (ἡδονὴ ποικίλον—μορφὰς παντοῖς εἶλησε, quae verba facile Protei alicujus varii semper et mutabilis imaginem referunt.) — p. 14, e. (ubi si quis concedat, unum esse multa, multa unum, is monstra, ut vulgo putent, enunciare dicitur.) — p. 21, c. egregie vitam ita voluptati deditam, ut nulla admixta sit cognitio, cum stupida vel pulmonis marini vel ostreae vita comparat. — Non minus bene Socrates in miscendo bono se et janitorem dicit, qui valvis apertis omne scientiae genus intromittat, (p. 62, c.) et pulchri notionem assecutum jam in vestibulo summi boni stare profitetur. (p. 64, c.)

90) Non solum disputatio ipsa (*λόγος*) more Platonicō (cf. prolegg. ad Sophist. vol. III, p. 555. not. 13) saepe aliquid vel agere vel pati dicitur, (ὁ λόγος ἀπολόμενος οἰχοται, p. 14, a. τὸν λόγον παρέχοντα ἀνθείποντις πράγματα, p. 14, c. λόγον ἐπεγένεται, p. 36, d.) sed etiam majores numeri (τὸ μᾶλλον καὶ ἔπειται) et moveri et sedem suam habere dicuntur. (p. 24, c.) — Ortum quemvis cum generationis actu comparare solet Plato, quamobrem mixtum ex finitis atque infinitis ex utroque natum (p. 26, cf. p. 25. ἡ τοῦ πέρατος γέννα) et virtutes mentis filias dicit, (p. 63, c.) quod Stalbaumus recte cum similibus in convivio allegorisi (p. 206, c. 208, n. 299, c. 211, d.) comparat. Maxime vero delectat, quod et voluptates et variae scientiae species et appellantur, quasi colloquio adessent, et respondentes finguntur. (p. 63.)

91) μὴ κατεῖν εὖ κείμενον, (Φίληβον, plenius Suidas: μὴ κατεῖν κακὸν εὖ κείμενον) p. 15, c. — δραῦῶς δοθέντων οὐν ἀφαίσσει, p. 19, e. in quo infantium, ut ipse Protarchus dicit, proverbio versiculi pars latere videtur. — γῆν φασίν οἱ κείμαζμενοι, p. 29, a. In qua nautarum, qui post longinquam navigationem terram diu expectatam revisunt, exclamacione nescio quid frigidi Schleiermacherus invenerit, quamquam ea facete exprimitur, quatuor illorum elementorum, quibus singula quaque constant, nullum magis et Iubentius pro elemento haberi quam terram. — Etiam in verbis τὸ τρόπον ἔτερον, (p. 53, e.) quibus indicatur, duo inter se juncos semper tertio aliquo indigere, quod, quum utrique aequaliter adsit, utriusque quasi vinculum sit, proverbium inesse recte observavit Schleiermacherus, quamquam frigidum hunc quoque lumen esse, ut ille putabat, eo minus dicere audeo, quod proverbii a puerorum aliquo, uti videtur, ludo desunt viam ac rationem nescio. — Proverbia duo, quae admodum in deliciis habet, hic quoque inveniuntur: ὁ δεύτερος πλοῦς, (p. 19, c. 59 c. ubi δεύτερος nec δευτέρως legendum, sed δεύτερος elliptice positum pervidit Schleiermacherus; cf. Phaedon. p. 99, d. Polit. 300, c.) et τὸ τρόπον τῷ σωτῆρι, p. 66, d. (cf. Charmid. p. 157, a.)

92) Homerici versus (Iliad. 18, 107. sqq.) praeter morem suum hic semel tantum ipsa verba afferit p. 47, e. atium tangit, (Il. 4, 452.) ut in vocabulo μαγάζεια ludere, cuius altera parte haud scio an ad ἀράγην ἄλιδη pūtaverit, ita ut necessitatem aliquam vel nexus rerum mixtarum in eo invenerit indicatum. Ex Orphicorum carminibus, ex quibus versum repetit p. 66, c. etiam illud χόσμος τις ἀσύμματος ἄξων (p. 64, b.) desumum esse videtur. Nec non verba ἐκπεσών οἰχήσεται (p. 13, d.) et εἰσαῦθις τε καὶ αὐθις versum fragmenta esse patet.

93) λυπεῖν ἡδονήν p. 23, b.

cognatis diversae significationis<sup>94)</sup> aut similibus quidem sono, sed vi diversis<sup>95)</sup> componendis. Maxime vero in eo sibi placet lusu, quod, dum eadem verba, quibus rerum notionumque explicandarum natura indicatur, ad genus dicendi ac disputandi adhibet significandum, dictionem omni ex parte sententiis studet exaequare.<sup>96)</sup> Multo magis vero pressum ac densum dicendi genus, quam in aliis plerisque dialogis, et in verborum constructionibus<sup>97)</sup> et in periodorum compositionibus observamus, quamquam haud raro scriptor sententiae ambages ambagibus et flexo ac tortuoso itinere orationis subitisque ejus interruptionibus imitatur.<sup>98)</sup> Denique<sup>\*</sup> etiam in vocabulis vel rarioribus diligendis vel novis omnino formandis eandem sequitur rationem, ut et breviter ac presse et perspicue ac dilucide res et gravissimas saepe et difficillimas exprimat.<sup>99)</sup>

94) Sic iudicatur in diversa vocabulorum τέλος et τελευτή, (p. 24, b.) λήθη et λειληθέναι (p. 33, e.) significatione; non multum versus latus est in verbis: ξυμπεφρομένη ξυμφροά. (p. 64, e.)

95) Ut in Cratyle, (p. 419, b.) λύπη hic quoque dicitur λύσις, quasi ex radice λύειν exortum esset. (p. 31, d.)

96) Sic p. 22., ubi de mentis natura exposuit, scite ac lepide addit Socrates: εἰ τῷ ἔμῳ νῷ δὲ πιστεύειν. — Similiter p. 24, a. τὸ δὲ πέρας ἔχον ήμᾶς περιμενέτω. — De modo locutus de ipsa disputationis ratione dicit μετόπος διατεκτομέθεται; paulo post, quum de pura et voluptate et scientia dixerit, postulat, ut utraque pura (i. e. purae ejus notiones) exploretur; p. 52, c. e. — De dialectica cogitans utitur verbis ίσαρώς διαλογισάμενοι. (p. 58, d.)

97) Hujus generis sunt praegnantes illae, quae dicuntur, constructiones, quibus abundat dialogus, ut ἀπήλασται ἥδονή τοῦ νικᾶν, (p. 20, c., cf. p. 67 a.) περὶ αὐτὸν κτῆσασθαι, (p. 20, d.) τὰ εἰς τὴν διατοξιν εἰδη ἡδονῆς, (p. 20, e.) διατοξιν δυνάμενον, i. e. quod secernendi potestatem habet (p. 23, d.) οὐτὲ ἐδυσολαίνομεν ὡς οὐκ ἦν [τὸ πέρας] ἐν φύσει, (p. 26, d.) ἀφείνατε με μηχεῖτε δεῖν μηρύνειν τοὺς λόγους [p. 50, d.]

98) Sic p. 50, d. 58, c. 60, d. e. periodi, in quibus multa Socrates cumulat et comprehendit, turbatis membrorum ordinibus grata quadam negligentia decurrunt.

99) Sunt haec fere vocabula, quibus in prioribus dialogis nondum usus fuit, maximam partem ab ipso, uti videatur, formata: ἀραιά, [p. 21, d.] ἀναισθητά, [33, e. quo loco ipse Plato indicat se novo verbo rem indicare velle; recepit vero vocabulum optimè factum Aristoteles eth. Nicom. III, II.] ἀπολογίεσθαι, [p. 25, b.] felicissime hoc composito simul secernendi et ratiocheinandi vis significatur] ἀποσώζειν, [p. 26, c. audacter secundum proximum ἀποργάνων vel ἀπορετῶν formatum] γενούστης, [p. 30, e. vocabulum infelicissima sane Musa auspice confectum] δυσπεπλακτά, (non melius formatum, quum analogia postularet δυσαπαλλαξτά, cf. Lob. ad Phryn. p. 509.] δοξοελάτα, [49, e. secundum proximum δοξοσοφία factum] διαδοχάζειν, [38, b. quo bene judicii vis exprimitur, quae et diversa discernit et dubia decernit] δυσχέρασμα, [44, d.] ἐνές, [15, a. quod vocabulum hic primum ex Pythagoreorum scholis a Platone receptum videmus] περατοιδές, [25, d.] περιχάρα, [65, d.] περιφανής, [31, e. cuius vocabuli vis ita immutata est, ut vulgaria omnibusque nota indicet] ὄμότοιον, [17, c. ab artis musicae, ut videtur, scriptoribus inventum] σωμαστία. [30, b.] — Quomodo vim verborum ἐν πολλά, ἀπειδον, πέρας allorumque, quae hujus ordinis sunt, aliter ex parte atque in prioribus dialogis constituerit, in sequente capite docebitur.

## Caput III.

### Explicatio argumenti.

Fundamentum, non culmen disputationis est quaestio, utrum voluptas an scientia finis bonorum sit. Utraque enim opinio non solum in scholis philosophorum, sed etiam inter homines ab omni philosophia alienos magnum illo tempore sectatorum numerum invenerat.<sup>100)</sup> Nam primum quidem Socrates in sola scientia bonum esse docuerat; sed veri cognitionem omni voluptati bonisque omnibus fluxis et caducis praferendam esse jam et Anaxagoras<sup>101)</sup> et Pythagorei exemplo suo comprobaverant. Contra eos Democritus quidem puram illam voluptatem, quae ex veri scientia et accurata omnium rerum contemplatione orta animos hominum superstitione, metu, omni deinde curarum tristiumque affectuum genere solutos tranquillos redderet et pacatos, summum bonum esse contenderat eamque, ne voluptatis vulgaris et vilis patronus haberetur, non ἡδονὴ sed εὐθυμία vel εὐεστιά (animi tranquillitatem rectamque constitutionem) nominaverat;<sup>102)</sup> Protagorei vero non poterant non voluptatem studiorum omnium humanorum finem habere, nimirum ut in doctrina magistri perstarent, nihil homini verum esse, nisi quod sensu aliquando perceptum esset.<sup>103)</sup> Quam opinionem num illi quoque probaverint, qui Hippiam Eleum secuti naturae legem legibus omnibus humanis sanctiorem praedicabant,<sup>104)</sup> non satis constat, quamvis veri haud sit dissimile; multos vero ex omni populo tunc, uti semper, Calliclis istius, quem ex Gorgia cognovimus,<sup>105)</sup> similes patronos atque amatores voluptatis exstissem certum est. Ex ipsis vero Socratis discipulis Aristippi secta ita a magistri sententia desciverat, ut, quamvis scientiam et rationem in bonorum numero referrent, summum tamen vivendi agendique finem voluptatem et hanc solam propter se ipsam expetendam esse jactarent,<sup>106)</sup> quam etiamsi non corporis tantum sed etiam animi esse vellet, non tamen felicitatem aliquam voluptatum delectu et comparatione efficiendam, sed ipsum

100) Se non philosophorum tantum opiniones, sed duas centrarias vivendi agendique rationes describere velle ipse indicat p. II, c. ubi qui alterutram sequantur, prorsus inter se diversum animi et habitum [ἔπος] et affectum [θύμος] appetere dicuntur. Qua in re quis non suavissimae Prodiceae de Hercule in bivio voluptatis et virtutis stante narrationis meminerit a Xenophonte [memor. II, I, 21—34.] proditae?

101) Philosophum Ciazomenium re familiari neglecta prorsus et perdita unice naturae contemplationi deditum fuisse testatur Plato in Hippia majore, p. 283, a. Cf. Diog. L. II, 6. 7.

102) D. L. IX, 45.

103) Cf. prolegg. ad Theat. vol. III, p. 8—12.

104) Protag. p. 337, d. e. Cf. prolegg. ad polit. vol. III, p. 575—76.

105) Gorgia p. 482. sqq. Cf. prolegg. p. 349—56.

106) Minime quidem negabat Aristippus, τρόπησιν ἀγαθόν, at per se ipsam expetendam esse negabat; imo vero ἡ ἡδονὴ δι' αὐτὴν αἱρετὴ καὶ ἀγαθόν. D. L. II, 88. 91. Cf. Socratis cum homine illo minime Socratico de voluptate et virtute colloquium Xen., memor. II, I.

voluptatis fructum et momentum maximum esse bonum putabant.<sup>107)</sup> Quos contra et puri Socrati puram magistri doctrinam tuebantur et Euclides Megaricus ipsum summum bonum modo mentem modo cogitationem vel sapientiam modo unum, adeo deum dicebat;<sup>108)</sup> Antisthenis denique sectatores omni fere voluptatis genere repudiato et virtutem solam propter se ipsam expetendam ad felicitatem sufficere et eam scientiam esse et sapientiam docebant.<sup>109)</sup> Quamobrem horum causam egerat Socrates, quum contra Philebum disputans scientiam summum bonum diceret; hic vero, si quis umquam, Aristippeus erat, sed tali s., qui ne hujus antistitis quidem voluptariorum hominum doctrinam omni ex parte recte videretur intellexisse.<sup>110)</sup> Nam non solum Aristippum secutus varias voluptatis species omnino non esse distinguendas,<sup>111)</sup> sed etiam ad augendam voluptatem scientiam aliquid conferre plane negabat,<sup>112)</sup> id quod ille numquam fecerat; accedit, quod, quum idem omnibus animalibus bonum esse velit,<sup>113)</sup> felicitatem humanam stultissime non ex ipsorum, sed ex bestiarum scilicet natura aestimat.<sup>114)</sup> Socrates vero contrariae rationis defensor quod in mentis, cui ipse palmam deferebat, actionibus non solum intelligentiam, cogitationem, (*τὸ φρονεῖν καὶ τὸ νοεῖν*) memoriam, sed etiam rectam opinionem verasque ratiocinationes numerat,<sup>115)</sup> hac in re diversus sane est a Socrate Platonico, qui, quamquam interdum rectae opinioni magnum aliquod ad vitam recte instituendam momentum tribuit,<sup>116)</sup> summam tamen virtutem sola ratione ac scientia comparari docet. At quum neque ipse Socrates neque Antisthenici diversos scientiae gradus tam stricte, quam Plato, discernere consuevissent, in toto hac dialogo hos secutus scientiae opinionem rectam addit, ut quae non multum a veritate distet. Id vero satis est memorabile, quod in Philebo actus ille, qui opinionem quamvis vel judicium (*δόξα*) antecedit, dico actum reputatio-

107) *τέλος μὲν εἶναι τὴν πατὰ μέρος ἡδονὴν, εὐδαιμονίαν δὲ τὸ ἐκ τῶν μερικῶν ἡδονῶν σύστημα*, D. L. II, 87.  
Hoc felicitatis, ut ita dicam, systema Epicurus Aristippi doctrina emendata et purgata proposuit.

108) D. L. II, 106. Cic. acad. pr. II, 42. Idem Euclides bono aliquid oppositum esse posse negabat.

109) D. L. VI, 104. *τέλος εἶναι τὸ καὶ ἀρετὴν ζῆν*. Quantam scientiae dignitatem esse voluerint, gravissima Antisthenis dicta testantur: *τεῖχος ἀσφαλεστατον φρόνησις*, D. L. VI, 13, δεῦριν κτᾶσθαι νοῦν ἡ βροχόν. [Plut. de Stoic. repugn. 14.] Cf. Plato de rep. VI, 505, b. [*τοῖς κομψοτέροις τὸ ἀγαθὸν δοκεῖ εἶναι φρόνησις*. Cf. D. L. VI, II. *αὐτάρεον εἶναι τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν*.]

110) Ne uno quidem verbo indicatur, Philebum Aristippi vel amicum vel discipulum fuisse, sed est iste vitae nullo fere consilio ad libidinem ac voluptatem pronae exemplum.

111) p. 12, c. Jam ab initio dialogi promisevit usurpantur verba *χαίρειν*, *ἡδονή*, *τέλος* neque corporis et animi voluptates discernuntur, id quod Prodicus fecit, [Protag. p. 337, c.] dum illas verbo *ἡδεσθαι*, has *εὐφραίνεσθαι* exprimit. Non magis curaverat juvenis tallum rerum negligentissimus, quid esset bonum, priusquam voluptatem affirmaret bonum esse.

112) Ne Protarchus quidem voluptatem, quam homo sentiat, nec debere nec posse sine cognitione aliqua esse intelligit, sed maxime, dum Socratem ita disputantem audit, confunditur, p. 21, d.

113) p. 11, b. *Φίληβος ἀγαθὸν εἶναι φῆσι τὸ χαίρειν πᾶσι ζώοις*.

114) p. 67, b. ubi dicit, plerosque animalibus fidem habentes voluptates putare ad bene vivendum plurimum valere.

115) p. 11, b. In eodem numero etiam *cujuusvis artis peritiam et quamvis omnino intelligentiam ponit* p. 19, d.

116) Cf. Prolegg. ad Menonem vol. II, p. 111—18.

nis, (*διάροια*, reflexionis hodie actio dicitur)<sup>117)</sup> ne nominatur quidem, quamquam haud multo post in libris de republica ei, dum rationem in sophista a se propositam corrigit, medium inter opinionem et scientiam, quae ratione efficiatur, locum adsignat.<sup>118)</sup> Ceterum Socrates jam primis fere verbis indicat, bona humana non, ut adversarii faciant, ad omnium animalium, sed vel ad hominum vel omnino ad eorum, qui rationis capaces sint, vitam et naturam esse dijudicanda.<sup>119)</sup>

His praemissis quum exordium dubitationem moveat, an forte tertium aliiquid et voluptati et scientiae praeferendum sit, Plato jam ab initio indicat, se et ipso Socrate et scholis omnibus Socraticis, in quibus aut voluptas aut scientia vel ratio summum bonum dicebatur, rectius et naturam humanam et boni rationem perspexisse. Ut vero ad difficillimam disputationem viam muniret, jam in ejus limine atque aditu Protarchus (nam Philebus deam suam sive voluptatem sive Venerem veneratus, qua re simul indicaverat, quale voluptatum genus omnium summum haberet, a colloquio recesserat, scilicet ne meliora edoceretur) vel rectius Cyrenaici et quicunque eorum doctrinam aliqua ex parte probabant duplicitis erroris convincendi erant, quo non sublato omnino non poterat disputari. Nam primum quod ille voluptates non ipsas inter se vult esse diversas, qua in re ipsa fere Aristippi verba reddit,<sup>120)</sup> sed id tantum concedit, eas rebus, per quas excitentur, quodammodo variari,<sup>121)</sup> edoceri debebat, esse et genera rerum et species, quodvis vero genus varias in se, adeo contrarias haud raro species continere, ita ut generis unitas cum partium varietate necessario quodam nexus conjuncta sit. Hoc firmissimum artis dialecticae fundamentum jam ab ipso Socrate et inventum et ad rerum definitiones et divisiones aptissime adhibitum non solum Protagoras, ut qui omnino universas constantesque rerum notiones a nobis concipi posse negaret,<sup>122)</sup> sed etiam Megarici<sup>123)</sup> atque Antisthenes<sup>124)</sup> aut prorsus ignorabant aut commentis sive propriis sive ex

117) Soph. p. 263, d. e.

118) Rep. VI, 511, d. [ώς μεταξύ τι δόξης τε καὶ τοῦ τὴν διάροιαν ούσαν.] Maxime hunc mentis actum ibi in rebus mathematicis cognoscendis versari dicit.

119) τὸ φρονεῖν – τῆς ἡδονῆς ἀμείνω γίγνεσθαι σύμπλασιν, δοκιμερος αὐτῶν δυνατὰ μεταλαβεῖν, p. 11, c.

120) p. 12, e. cf. D. L. II, 87.

121) p. 12, e. Etiam hac in re Cyrenaicos sequitur, qui animi et corporis voluptates non solum discernebant, sed etiam illas his praeferebant; D. L. II, 90. Quod si quis illi placito, non esse inter se diversas voluptates, repugnare dicat, et maxime quidem repugnare videtur, ei nisi fallor responderet Aristippus, non diversas illas esse species voluptatis, ut quas constanter negaret esse, sed sensus et affectus diversos a diversis rebus diverso modo excitatos; meliores vero animi voluptates quam corporis non sua natura esse, sed quia leniore motu [D. L. II, 86.] minusque violenter nos illos afficeremur.

122) Cf. prolegg. ad Theaet. p. 49—52.

123) Megarici nimiam Zenonis Eleatici subtilitatem cum Socratische doctrinae quibusdam particulis commiscentes et confundentes multa aut omnino esse aut certe cognosci posse negabunt, [cf. not. 108.] quamobrem, quum diversas notiones esse nollent, etiam partium varietatem singulis notionibus insitam tollebant, ita ut nec definitionibus nec divisionibus locum permitterent. [cf. prolegg. ad Theaet. p. 16.]

124) Antisthenes nec diversa eidem rei attribui posse, [εὐήθως, ut recte judicat Aristot. metaph. IV, 29.] neque quidquam definiri posse negabat [Arist. metaph. VII, 3.] et ita omnem tollebat et contradictionem et disputationem; cf. prolegg. ad Theaet. p. 16.

aliis scholis adscitis infirmabant atque evertabant. Quamobrem Socrates imprimis hoc a Protarcho postulat, ut credat, salva universa et communi voluptatis notione species et partes ejus esse maxime diversas, imo contraria.<sup>125)</sup> Sic jam hic ea praeparantur et quasi ex longinquo ostenduntur, quae infra in quarta colloquii parte et de voluptatis universae notione et de ejus partibus sane dissimillimis exponentur. Quamquam vero etiam scientiae diversas esse et dissimiles species concedit Socrates, dubitat tamen, num hae quoque, ut voluptates, contrariae inter se esse possint;<sup>126)</sup> nam voluptas quum modo animi sit modo corporis modo utriusque, scientia mentis semper est et rationis. Deinde Protarchum reprehendit, quod nulla certa ratione ductus jucunda dicat bona, quasi non notiones utriusque diversae sint, sed diversa ejusdem rei nomina.<sup>127)</sup> Hic quoque error ex Protagorae effluxit doctrina, nihil omnino obstare, quin de iisdem rebus quovis tempore contraria praedicentur, cui opinioni et Socrates et distinctius ipse Plato notionum stabilitatem opposuit et ostendit, non licere iisdem contraria attribui.<sup>128)</sup> Quamobrem monet ei, qui jucunda bona nominet, inquirendum antea fuisse, num hae duae notiones inter se repugnarent. Et diversas quidem esse maxime jam in Gorgia satis demonstratum erat.<sup>129)</sup> Socrates postquam ita non solum disputationis finem, sed etiam rationem constituit et paucis verbis jam saepe refutatas et sophistarum et aliorum philosophorum artes tetigit, more suo Protarchum admonet, ut veritatem non ex personis, sed ex se ipsa pendere eamque omni, quo par sit, studio adjuvare velit ac defendere.

Jam in secunda colloquii parte et opinione illae, quae disputationi maxime obstare videbantur, acrius repelluntur et primariae proponuntur notiones, quae ad boni naturam et constitutuendam et definiendam pertineant. Primum enim difficilima illa quaestio, jam saepe a multis excussa, quomodo unum multa, multa unum esse possint, ita tractatur, ut non solum Megarici atque Antisthenici, sed etiam nimis fervidi ac studiosi ipsius Platonis sectatores tangi videantur. Nam pueriles quidem istas nugas eorum, qui unum multa esse clamarent aut, quia eidem rei, si cum diversis compararetur, diversa attribuerentur, (ita ut non natura sua, sed relatione diversae essent) aut quia res eadem multis saepe partibus constaret, scilicet ut jocose carperent et deriderent eorum sententiam, qui juxta unitatem varietatem et multitudinem ponerent, jam in Parmenide rejectas<sup>130)</sup> hic non iterum multis refellendas putavit.

125) p. 12, b. bene hoc ita illustrat, ut etiam colores contraries esse dicat contrariasque figurae, neque vero generis unitatem hac varietate tolli.

126) p. 14, a.

127) p. 13, a. b. In verbis *αὐτὰ ὁμολογεῖν ἀνόμοια εἶναι, ἀντε ἀνόμοια* excidisse cum C. F. Hermanno censeo, quamquam doctissimi viri conjectura *ἀντός* pro *ἀντά* minus opus esse videtur, quia *ἀντά* [*τὸ αγάγειν*] vi sua minime caret.

128) Ab omnibus inde a Platone atque Aristotele, qui sententias Platonicas acutius proposuit et perfecit, [metaph. III, 4] praeceptum illud de contradictione, ut vulgo dicitur, a logicis in fundamentis artis suae numeratum est.

129) Nescio quo jure Stallbaumus [prolegg. ad Phil. p. 13.] dicat, jam in Protagora boni et jucundi fines ac terminos certius constitutos esse, quum haec quaestio in Gorgia demum ita moveatur, ut accuratius de eo disputeatur.

130) Parm. p. 139. Eleaticorum illae erant nugae, quibus se ostendere posse putabant, ridicule agere, qui multa esse dicerent; cf. prolegg. ad Parm. p. 262. sqq.

Talibus igitur nugis ac lusibus missis unitatem illam, quae multitudinem in se continet, non in rebus singulis atque externis, sed in illis, quae neque orientur neque intereant vel in aeternis universisque rerum generibus ac notionibus quaerendam esse affirmat. Sic illa de ideis doctrina, totius philosophiae Platonicae fundamentum, in quo quaerendo elaborantem in Cratilo, Theaeteto, Parmenidem vidimus, hic jam ut certissime universae disputationi supponitur et simul cognoscitur, multitudinem in unitate non posse cognosci, nisi ita, ut et genera in species suas distribuantur et hae generibus suis recte attribuantur,<sup>131)</sup> id quod artis dialecticae negotium esse primum in Sophista definiverat.<sup>132)</sup> Jam in Parmenide Socratem juvenem finxerat et dubitacionem moventem, num ideae in se ipsae aliquam partium varietatem haberent,<sup>133)</sup> et quaestiones easdem aut proponentem aut ad propositas a Parmenide respondentem, quas hic paucis verbis ita tangit, ut appareat, eum non amplius de iis dubitare. Sunt vero tres quaestiones; prima, num vere sint illae unitates, secunda, quomodo, quamvis singulae aeternae sint, unaquaque tamea suam propriam naturam servet,<sup>134)</sup> tertia, utrum per eorum, quae fiant, infinitam varietatem dividantur et distrahanter, an totae salva sua unitate singulis rebus adsint et in uno simul sint et multis, id quod omnium minime fieri posse intelligitur.<sup>135)</sup> Ipse vero Plato, dum novis hic nominibus μονέδων atque ἐνάδων ideas significat, se novo modo et ita de iis dicere velle indicat, ut hae quaestiones quamvis difficillimae etiam melius ac certius solvi possint. Priusquam vero ad hoc facendum aggreditur, in transcurso juvenum quorundam levitatem castigat, qui nova illa sapientia, unum esse multa, multa unum, quasi invento nuper sapientiae thesauro gloriantes modo unum in multa evolant modo multa in unum confundant atque, in quoscumque inciderint, eos omnes hac nova sua scientia obruant. Quod si quis quaerat, qui sint illi juvenes, id quidem pro certo ha-

131) Verba στοιχὴ μετὰ διαιρέσεως (p. 15, a.) propter laborantem loci structaram a C. F. Hermanno rejecta non sapiunt, ut ille putabat, sequentis ἀμφισβήτησις aliquam interpretationem, imo divisionis notionem jam hic significari aptissimum sane est. Quapropter aut inserto cum Schuetzio (opusc. p. 134.) καὶ et mutato verborum ordine legendum: η ἀμφισβήτησις καὶ στοιχὴ μετὰ διαιρέσεως γίγνεται, aut ἀμφισβήτησις rem ipsam, circa quam dubitatio movetur, indicat, ut dicatur: magnum illud divisionis studium occasionem dubitationi et disputationi praebet; cf. Thucydideum illud ἀγανάκτησιν ἔχει (II, 41.) αἰσθησιν ἔχει, (II, 61.) causam indignationis, sensus habet. Quod si obloquatur Hermannus, quod Stallbaum minus quidem recte explicanti: οὐκτόποτε et evadit in dubitationem et controversiam oblocutus est, distinguendo controversias componi, non excitari, respondeo studium (στοιχῆ) distinguendi nondum perfectum esse distinctionum opus, ita ut omnino de optima ejus ratione magna sub judice lis sit.

132) p. 253, d. e.

133) p. 129, e.

134) Minus recte secundae quaestiones rationem Stallbaumus ita definit: "quomodo unaquaque ab ortu et interitu immunis esse intelligatur, nam, id quod jam ex oppositione per particulam ὅμως indicata cognoscitur, de eo quaeritur, quomodo quamvis aeterna una [υἱαρ ταύτην] vel individua et inter se separata esse possint, quum individui quae dicitur unitas illi tantum attribui solet, quae ortum interitumque habeant."

135) Ad primum quaestionem altera Parmenidis parte tota respondetur, quae demonstrat unum non posse non esse; altera tangitur p. 135, a; duplex, quae est in tercia, dubitatio pluribus exponitur p. 131.

bendum est, non esse Megaricae vel Antisthenicae philosophiae alumnos; nam illi neque multitudinem in unitate esse concedebant neque generum notiones in partes ac species dividebant, quod analyticum tantum, quae dicunt logici, non synthetica judicia recte fieri dicebant.<sup>136)</sup> Sunt igitur, nisi fallor, ipsius Platonicae philosophiae tirones, quos Plato tangit, temporum scilicet rationis, ut solet in iis, quae Socratem facit dicentem, minus observans. Nam ex quo juvenes dubitationibus illis a dialecticis et sophistis exagitatis ad philosophandum excitati vel in Platonis scriptis legerant vel ex ipsis ore audierant, et unum esse multa, id quod cum Eleaticis Megarici constanter negaverant, et multa unum, quod Heracliteos, Protagorum, Democritum fugerat, jam hac una formula juvenili quodam fervore elati gravissimas de rebus divinis atque humanas quaestiones solutas esse putabant neque amplius in ejus vim inquirendum statuebant.<sup>137)</sup> Jam his novam suam doctrinam quasi Promethei cuiusdam donum praedicat, multa ab infinitis diversa esse, quum omnia ex uno et multis constant, haec ipsa vero et finem sibi insitum habeant et infinita. Quapropter monet, ut nolint uni statim infinita opponere, sed unam in omnibus semper ideam vel generis unitatem querant, tum vero aut ita agant, ut unum in multa, genus in species dissolvant, easque ad certos finitosque numeros redigant neque infiniti naturam uni admoveant, priusquam, quot et quales illae species sint, cognoverint, aut inversa ratione ab infinitorum vel singularium rerum contemplatione exorsi non statim ad unum progrediantur, sed omni demum partium numero, quae sint inter unum atque infinita, cognito ad unitatis descendant notionem. Haec est duplex illa artis dialecticae via, jam in sophista et Phaedro indicata,<sup>138)</sup> quarum illa vulgo synthetica, haec analytica dicitur. Utriusque vero ratio exemplo optime delecto illustrator. Namque a generis unitate per species ad infinita singula descendit quum in grammatica tum praecipue in arte musica, cuius neque is peritus habendus sit, qui soni ipsius, quae est primaria hujus artis notio, naturam cognoverit, neque qui multos singulos sonos didicerit, sed is demum, qui omnes sonorum species distinxerit, qui varias eorum et conjunctiones et oppositiones exploraverit, qui intervalla eorum et compositiones numeris definiverit.<sup>139)</sup> Ascensum vero ab infinitis per multa ad unum faciendum in literarum et inventione et traditione clarissime significari; nam primum numeranda esse linguae elementa, tum species eorum secundum pronunciationem distinguendas, denique omnes et ad soni unitatem revocandas et communi doctrinae grammaticae vinculo colligandas. Haud aliter et in Cratyllo et in Theaeteto et elementis literarum et syllabis et verbis usus erat ad notionum et varietates et com-

136) Cf. prolegg. ad sophist. p. 423. sqq.

137) Quis non in hac egregia juvenum philosophia, quam modo animis imbiberunt, quasi ebiorum recordetur temporum illorum, quibus studiosi harum rerum adolescentuli quibusdam Kantii, Fichtii, Schellingi, Hegelii aliorumque memoriae impressis se ad finem omnis scientiae pervenisse jactabant? Hodie quidem, ubi philosophia neglecta jacet et multis invisa, plurimis ignota est, juvenes nostri juvenili isto, sed ad altiora sane evolante studio impelli jam dudum desierunt,

138) Soph. p. 253. d. e. Phaedr. p. 266. 273. e.

139) p. 17. c—e. Hic quoque Pythagoreorum, qui multi erant in intervallis et systematis vel harmoniis musicis distinguendis, (cf. Boeckhii Philolaum p. 65—81.) disciplina facile agnoscerit.

positiones significandas.<sup>140)</sup> Quicunque vero aliter agant et mediis, quae sint inter unum atque infinita, omissis statim uni infinita opponant, eos jam in Sophista castigatos<sup>141)</sup> non dialecticos esse vult, sed eristicos. Quos vel Megaricos esse vel sophistas ex Eleatarum Megaricorumque scholis profectos ex eodem illo dialogo edocemur. Horum sapientiam a deorum traditione descivisse addit, quam antiqui, quippe qui diis propiores fuerint, rectius cognoverint.<sup>142)</sup>

At quaerat aliquis, quid in his omnibus novi sit? Sunt vero in iis duo nova et talia, quae neque a prioribus philosophis neque ab ipso Platone antea tam perspicue atque expresse enunciata sint. Primum est illud, quod uni non multitudo sed infinitum opponitur, ita ut illa inter unum atque infinita medium quasi locum teneat. Viderat enim, species vincula esse, quibus generis notio cum rebus singulis necteretur. Jam in Parmenide quidem unum necessario in multa explicari intellecterat, at nondum infiniti invenerat notionem, sed infinitam illam varietatem, quae numero non posset comprehendendi, alia (*ἄλλα, ξερά*) nominaverat, quae uni omni ex parte opposita essent.<sup>143)</sup> Rectius vero postea ita de multis judicavit, quia a Pythagoreis infinitam multitudinem ad numerorum leges revocare didicerat. Tum ipsius infiniti naturam et notionem, quae, quum ipsa admodum infinita esset, a prioribus philosophis diversis maxime modis definita erat, omnibus rectius perspexerat. Namque Anaximander ille, qui infinitum omnium rerum principium atque elementum volebat esse,<sup>144)</sup> de infinita quadam vel materie vel vi materiae insita ac natura cogitabat; qualitatis igitur, ut vulgo dicitur, infinitam vel indefinitam rationem dicebat. Paullo aliter Anaxagoras infiniti notionem constituit, ut ad quantitatem vel ad magnitudinem et numerum referret.<sup>145)</sup> Melissus vero, qui Eleaticae scholae vulgo accensetur, quum unum suum, quo omnia continerentur, infinitum diceret, id infinitum esse statuebat, quod nec spatii nec temporis vel initium vel fi-

140) Crat. p. 424—27. Theaet. p. 202—206. Divisio literarum in vocales, (*γενήτα*) semivocales, (*γενῆς μὲν οὖ, φθόγγον δὲ μετέχοντά τινος*) mutas, (*αφωνα*) nisi fallor, ab ipso Platone inventa, in quibus facile discrimen aliquid finitorum, infinitorum, mixtorum agnoscas, jam in illis locis proposita fuit.

141) Soph. p. 250.

141b) De dialecticae atque eristicae discrimine, quod p. 17, a. proponitur, cf. Meno p. 75, d.

142) Antiquos homines diis propiores ideoque sapientiores fuisse quum multis allis locis dicit Plato, tum in fabula illa de pristina generis humani innocentia atque integritate, quam in politico (p. 269—74) egregie exornavit.

143) In Parmenide multitudinis et ejus, quod aliud atque unum sit eique oppositum, notiones interdum distinguere velle videtur, sed minus sibi in hac re constat; illa vero *ἄλλα*, non *τὰ πολλά*, ut quae numerari possint, vere sunt infinita. (cf. prolegg. ad Parmen. p. 293. sqq. De discrimine verborum *ἄλλα* et *ξερον* cf. ibidem p. 403, not. 69.)

144) *ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον εἰρηκε τῶν ὅγεων τὸ ἀπειρον*, Simpl. ad phys. Arist. fol. 6, a.

145) Anaxagoras rudem illam indigestamque τῶν ὁμοιομερῶν molem infinitam nominabat: *ὅμοῦ πάντα χρήματα ήν, ἀπειρα καὶ πλῆθος καὶ συκρότητι*, Simpl. phys. fol. 33, b. Idem vero, parum sibi in hac re constans, etiam mentem dicebat infinitam, quippe cuius vis esset immensa, infinita, omnia semper complexa; Simpl. fol. 34, b.

nem haberet.<sup>146)</sup> Quos contra Pythagorei infiniti notionem ad numeros referebant ita, ut, quae numeris comprehendendi non possent, ea infinita dicerent.<sup>147)</sup> Parmenides denique, qui unum illud, quod solum vere esset, quamvis neque ortum neque interitulum, finitum tamen nominabat,<sup>148)</sup> jam rectiorem finiti atque infiniti notionem animo informaverat; senserat enim, ea tantum infinita esse, quorum notio nulla concipi posset; quamobrem unum, quippe quod omnis cogitationis fundamen-  
tum esset, non poterat non finitum dicere. Quem secutus Plato eam infiniti naturam esse voluit, ut ad notionem revocari non posset; quamobrem in maxima illa singularum rerum varietate, quae nec generis nec speciei notione plane definiri posset, infiniti naturam posuit.<sup>149)</sup> Qua ratione in hoc dialogo ita usus est, ut multitudinis atque infiniti notiones prorsus diversas esse vellet.<sup>150)</sup> In tertia vero dialogi parte explicanda videbimus, eum non solum, id quod hoc quidem loco facit, res singulas atque, ut cum philosophis loquar, individuas nominare infinitas, sed hanc notionem ei multo latius per omnem rerum naturam patuisse.

Philebo cum Protarcho haec omnia concedenti quidem sed quaerenti, cui bono disputata sint, Socrates respondet, factum hoc esse, quo cognoscatur, ut in rebus omnibus, sic in voluptate et scientia definienda neque unius vel generis tantum notionem esse exquirendam et hanc statim ad singula quaeque adhibendam neque in infinita hac rerum singularum, quae vel voluptate nos afficiant vel a nobis cognoscantur, varietate commorandum, sed varias utriusque partes ac species distinguendas. Subito vero hac dialectica ratione paullisper relicta rectiore via Socrates progrederi velle videtur; namque ipsius boni notionem adducit, ad quam et voluptatem et scientiam exploret atque examinet, ut, utrum hominibus magis expetendum sit, decernere possit. Antea vero iterum itemque affirmat, sibi vel dormienti vel vigilanti a deo quodam hoc responsum esse datum, neutrum illorum esse summum bonum, sed tertium aliquod utroque melius. Quo artificio more suo rei ipsius

146) τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον μήτε τελεύτην ἄπειρον τυγχάνει τὸ έόν. ἄπειρον ἀραι τὸ έόν. Simplic. phys. f. 22, 6. Recte hoc definitionis conclusionisque genus ἀγροκόπεδον dicit Aristoteles metaph. I, 5. Cf. phys. I, 2. 3.

147) Philolaum quidem neque in dyade neque in paribus numeris, (qui, quamquam infinitum in se habent, numeri tamen sunt ideoque finiti) sed in iis, quae omni numero carerent, infiniti naturam posuisse et ipsius verba testantur, (τας ἀπέιρων καὶ ἀνοίτων καὶ ἀλόγων φύσιος τὸ ψεῦδος καὶ ὁ φθόνος ἐντελεχεία—ψεῦδος δὲ οὐδαμῶς ἐξ ἀριθμὸν ἐπιτινεῖ, Philolaus apud Stob. ecl. phys. I, p. 8. Heeren) et Boeckhius docilissime ostendit p. 53, sqq.

148) Parmenides v. 83—85. 101—108. (In edit. Karstenii.) Nihil vero in verbis οὐκ ἀτελεύτητον mutandum esse, quamvis antea unum οὐκ ἀτελεστον dictum sit, (v. 59.) sed illud ad spatium, hoc ad tempus referendum esse censemus; cf. prolegg. ad Parm. p. 395, not. 18.

149) In Theaeteto eo loco, quo ostenditur, jam prima literarum cognosci posse et distingui, ἀλογα et ἀγνωστα nominat, quae vulgo ἀπειρα dicuntur; p. 202—208. Eadem in Phaedro sunt ἀτμητα illa, (individua) usque ad quae, consentiens cum iis, quae in Philebo dicit, species ab homine artis dialecticae perito distingui jubet. (p. 277, b.)

150) Hermanno ad p. 17, a. pro καὶ πολλὰ conjicienti τὰ πολλά (plerumque) eo minus adsentior, quia homines artis dialecticae ignari non solum unum, sed etiam multa et citius et tardius ponere solent, citius, dum unitate generis non recte cognita statim eam in partes explicant, tardius, dum nimis in unitate quasi defixi varias ejus species parum observant.

novitatem declarat; nam quum omnino Socrates Platonicus, id quod supra vidimus, novas suas sententias a deorum aliqua traditione repetere solet, tum illud, quod in somnio se aliquid vidisse dicit, et in Cratyle invenimus<sup>151)</sup> et in Theaeteto,<sup>152)</sup> ubi gravissimam illam de ideis doctrinam sibi quasi in somnio dicit obtigisse. Et novum sane erat, nec cum Socrate mentem verique scientiam nec cum Aristippi sectatoribus et omni hominum vulgo voluptatem finem bonorum dicere, sed medium aliquod inter utramque et ex utraque mixtum statuere, a qua ratione ipse Plato in conscribendo Gorgia admodum alienus fuerat. Dum vero boni ipsius notionem proponit, Pythagoreorum philosophiam ad ethicam Socratis doctrinam revocat, in qua quum utilia a summis bonis nondum satis discerni vidisset, ita eam amplificavit, ut absoluti et summi boni notionem quaereret. Hujus vero naturam talem esse debere intellexit, ut et ipsum sibi sufficeret neque alia ulla re indigeret et omni numero perfectum esset et propter se ipsum expeteretur, quum contra bona illa inferiora, quae relativa a philosophis dicuntur, non propter se sed propter summum bonum, si quidem ei consequendo inservirent, expeti possent. Quam summi boni notionem quum primum in Lyside proposuisset,<sup>153)</sup> tum in Euthydem, Menone, Gorgia eam in regia illa arte posuisse, quae a virtute perfecta civili non diversa et singulas omnes virtutes et artes hominum ac negotia complexa ad rectum finem dirigeret,<sup>154)</sup> in Phaedro primum ultra bona humana ad beatam deorum vitam evolare ausus in convivio summum bonum, ad quod alia omnia referenda essent, in aeterno divinoque palchro esse voluit, cuius sanctissimo amore casti purique animi impellerentur. In definiendo vero summo bono nihil magis spectandum esse censuit, quam ut ad bene beataque vivendum solum sibi sufficeret neque ulla alia re indigeret; (*τὸ οὐανόν, τὸ αὐτάρκες*) qua in re consentientes quidem habebat et Megaricos et Antisthenem.<sup>155)</sup> Dum vero inquirit, utrum voluptas aut scientia sola ad vitam rectam beatamque sufficiat, facili negotio et invenit et ostendit, neque illam sine hac neque hanc sine illa expetendam esse, quamobrem nrumque bonum esse negat, sed in summo bono, quod quidem homines assequi possint, illa duo conjuncta debere inesse affirmat. Voluptatis enim vitam contemplatus eam, nisi vel scientia vel memoria vel denique recte quaedam opinio eam comitetur, neque bonum aliquod esse neque appetendum demonstrat. Nam nec sine scientia homines scire posse, se voluptate aliqua affectos esse, nec sine memoria jucunda, quae aliquando experti sint, recordari, nec sine recta opinione vel re-

151) Crat. p. 439, c.

152) Theaet. p. 201, d. — Hos duos locos qui cum iis, quae in Philebo simillimo modo dicuntur, comparaverit, Stalbaumo (prolegg. ad Phil. p. 33.) eo minus concedet, Platonem hac dicendi ratione significare voluisse, sententiam suam de tertio quodam et voluptate et scientia meliore nullam omnino ferre aut desiderare argumentorum confirmationem, quod infra vere argumentis satis multis ac gravibus confirmari eam videmus.

153) Lys. p. 219. sqq.

154) Cf. prolegg. vol. II. ad Euthyd. p. 22. ad Men. p. 98. ad Gorg. p. 341.

155) D. L. VI, 11. *αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν εἶναι πρὸς εὐδαιμονίαν - αὐτάρκη τε εἶναι τὸν σοφόν.*

putatione de iis, quae jucunda futura essent, cogitare et deliberare.<sup>156)</sup> Haec omnia eo spectare facile intelligitur, ut cognoscamus, nullum naturae humanae actum ab aliis omnibus prorsus posse separari neque sensus, affectus, voluptates sine conscientiae quibusdam initis esse. Haud aliter de sensuum perceptione judicandum eique semper jam aliquid cognitionis, memoriae, ratiocinationis admixtum esse in Theacteto exposuerat. Quamobrem vitam istam unice voluptati praesenti dedicatam cum hebeti pulmonis marini vel ostreae vita comparat, haud aliter atque ibi eum, qui nihil, nisi quod sensibus perciperetur, verum esse censeret, non prudentiorem dixerat gyrino vel rana rudi et nondum satis formata.<sup>157)</sup> Ita dum imperfecta maxime et bruta omnium animalium nominat, simul indicat, memoriam certe aliquam atque opinionem ne animalibus quidem plerisque de esse.<sup>158)</sup> Omnino vero neque scientiam ullam neque virtutem esse posse, quae non cum praesentibus simul et praeterita et futura complecteretur, jam in Lachete ostenderat.<sup>159)</sup> Quod vero etiam mentem et scientiam solam et omni voluptate carentem sufficere sibi ideoque bonum esse negat, hac in re Platонem et aetate magis provectum et rectius ac mitius de rebus humanis judicantem agnoscamus. Namque in Theacteto quidem conscribendo in vita philosophiae verique explorationi dedita summam atque unicam felicitatem ponebat.<sup>160)</sup> Sed ex quo admirabilem amoris vim ad hominum animos et honestissimis studiis impellendos et ad veri cognitionem excitandos cognovit, etiam affectus voluptatesque puriores aliquantum ad vitam beatam conferre sensit. Ita quum utrumque altero quasi supplemento suo indigeat, id demum bonum esse intelligitur, quod ex utroque mixto oriatur.<sup>161)</sup> Nihilo minus non eandem mentis ac voluptatis vidiit esse dignitatem; nam quum menti divinae, supremae quum omnium rerum tum temperamenti illius causae, mens humana similis sit et cognata, puras ejus actiones, quae ad veri scientiam pertinent, non summum quidem bonum esse dicit, sed ab eo proxime abesse, ita ut secundum quasi menti praemium decernendum sit. Sic jam hic, dum ad tertium colloquii partem ejusque et acutissimam et res excelsas maxime et sublimes tractantem transit disputationem, ex longinquo nobis et mentem ipsam divinam atque aeternam, inexhaustum omnium bonorum fontem, et ejus cum humana communionem ostendit.

Antea enim quum infinitum et uni et definitae multitudini opposuisset, jam, dum in ipsam infiniti naturam inquirit, simul et finis et ejus, quod ex infinito et finito mixtum sit, notiones explicat, ut haec tria omnium rerum principia esse evincat. His vero jam quartum addit, supremam illam causam, quae efficiat, ut ubique et perpetuo finita cum infinitis misceantur. In his omnibus

156) p. 21, c. Videmus, scientiam eo loco proxime ad praesentia, memoriam ad praeterita, opinionem (*δόξαν*) vel reputationem (*λογισμόν*) ad futura referri.

157) Theact. p. 161, c.

158) p. 22, 6. Deos quidem voluptatis nihil sentire infra addit p. 33, b.

159) Lach. p. 198. Cf. prolegg. p. 353.

160) Praestantissimus est Theacteti de vitae publicis negotiis et philosophiae deditae discriminé locus p. 172 — 176.

161) Ut hic vita humana mente et affectu mixta dicuntur, sic in Timaeo omnis rerum universitas mente et necessitate constare dicitur, (p. 48. *μεμημένη ἡ τοῦδε τοῦ κόσμου γένεσις ἐξ ἀνάγκης τε καὶ τοῦ συστάσεως.*)

eum Philolai vestigiis<sup>162)</sup> insistere nemo negabit, qui recordatur, sapientissimum illum Pythagoreum docuisse, et omnem rerum universitatem ex finitis atque infinitis recte temperatam esse,<sup>163)</sup> et supremam aliquam unitatem, omnium et numerorum et rerum radicem et principium, supra unitatem illam, quae esset in numeris, elatam esse statuendam.<sup>164)</sup> Eo magis vero hic Pythagoreorum agnoscimus doctrinam, quia finiti natura in numero ponitur, cuius leges ac definitiones infinitum semper fugere dicitur. Sed id quoque a Pythagoreis repetit, quod finiti notionem multo minus accurate quam infinitum definivit; nam eadem, quae vulgo finita (*πεπερασμένα*) dicit, aliis locis vel ipso finis (*πέρας*) nomine vel fini cognata (*περατοειδές*) nominat.<sup>165)</sup> Namque eadem prorsus et est et esse debebat Pythagoreorum in hac re ambiguitas. Philolaus enim, quae ipse finientia, (*περαίνοντα*) non finita dicit, in numeris esse voluit; jam vero numeri videntur quidem res finitae esse, quia quisque numerus alias omnes quodammodo continet, ita ut definita quaedam multitudo sit, vere autem nihil aliud sunt numeri nisi rerum fines puraeque formae, quibus infinita materies continetur et ad certas leges formatur, quamobrem minus recte finiti, quam vel finientes vel fines dicuntur. Aggrediamur vero ad ipsas principiorum notiones explicandas. Et primum quidem infiniti naturam difficillimam perspectu esse Protarcho recte concedit Socrates. Nam quid est, quod ille dicit, in iis omnibus cerni infinitum, quae plus minusve vel majus aliquid et minus recipiant neque ad certum aliquem finem pervenerint? Quodsi quis de iis notionibus cogitet, quae a logicis relativae dicuntur atque absolutis opponuntur, neque suam propriam naturam habent, sed semper ad alia quaedam referuntur, ita ut, quae cum majoribus comparata parva dicimus, eadem, si cum minoribus compares, magna esse videantur, eum a Platonis sententia longissime aberrare censeo. Hic enim finem in numeris posuit, in quos ipsos illud quam maxime cadit, ut iidem cum aliis comparati modo magni videantur modo parvi; sic igitur numeri non finiti, sed infiniti nominandi essent. Ea vero infinita dicit, quae perpetuo se ipsis modo majora modo minora fiant, ita ut neque numero definiri possint nec notionibus comprehendendi.<sup>166)</sup> Itaque in omni rerum exten-

162) Minus recte in his quatuor principiis Pythagoreorum quaternionem (*τετρακτύς*) invenisse sibi visus est Astius, (de v. et ser. Pl. p. 294.) quum τετρακτύς illa sanctissima, quam Philolaus sanitatis initium dicit, nihil nisi ipsos numeros, sive quatuor sive decem, (*η τῆς δεκάδος τετρακτύς*) comprehenderit; cf. Boeckhii Philolaus p. 146.

163) Exordium fuit libri a Philolao de natura scripti: *γύσις ἐν τῷ κόσμῳ ἀριθμὸν ἐξ ἀπέριων καὶ περαινότων, καὶ ὅλος κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα.* (D. L. VIII, 85. cf. Boeckh. Phil. p. 45.) Cf. Stob. ecl. I, p. 454 δῆλον ὅτι ἐξ περαινόντων τε καὶ ἀπέριων ὁ τε κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ συναριθμόζη. Haec a Philolao desumisse Platонem etiam Proclus (Theol. Plat. III, 7.) testatur.

164) Syrian, ad Arist. metaph. XIII, p. 102. „Philolaus Deum dicens finem et infinitatem constituisse — ostendens ante duo principia unam et singularem causam, quam omnium principium esse affirmat;“ cf. Boeckh. p. 148.

165) Num alii Pythagorei *πεπερασμένα*, quae Philolaus *περαίνοντα*, dixerint, Aristotelis, qui suis saepe verbis alienas sententias proponit, (met. 1, 5.) testimonio non satis evincitur.

166) Hanc cogitationis subtilitatem idioma Graecum assequitur, in quo saepissime aliquis ξαντοῦ μετων., μικρός τέρος κ. τ. λ. dicitur.

narum mobilitate ac varietate, cuius puram notionem ab ipsis rebus prorsus avocatam proponit, vult esse infiniti naturam. Quapropter ubicunque aliquid inter diversos vel multitudinis vel magnitudinis, sive ea est spatii sive vehementiae in ipsis actionibus rerum conspicuae, gradus animadvertis fluctuare, ubicunque materiem aliquam vidit a contrariis ad contraria citissime ferri,<sup>167)</sup> ibi infinitum suum agnovit. Idem est, quod Aristoteles testatur, Platonem infinitum istud Pythagoreorum, quod hi multis nominaverint, modo inaequale, modo magnum et parvum dixisse testatur.<sup>168)</sup> Novum sane et ingeniosum est, quod comparativi vim infinitam atque incertam vult esse, positivi certam ac finitam. Hanc vere Platonis sententiam fuisse, etiam ex iis apparebit, quae in quarta parte de voluptate dicentur inter extrema semper, nisi ratio ei adsit, fluctuante. Copiosius vero et distinctius ea, quae hic paucis adumbrantur, in Timaeo exposita sunt.<sup>169)</sup> Ibi enim per omnem rerum naturam diffusa infiniti natura dicitur, quae, quum omnium formarum capax ipsa omni omnino forma careat, quum perpetuo moveatur et novas induat formas, quum unitatis omnisque definitionis expers neque cerni nec nisi falsa quadam et supposita cogitatione comprehendi possit,<sup>170)</sup> infinitae isti materiae, in qua describenda multi erant Neo-Platonici,<sup>171)</sup> simillima sane est, quamquam ipse Plato a materiae nomine abstinuit. Certius quidem et plenius hanc notionem Aristoteles ita constituit, ut a materia infinitam illam atque insitam omnibus rebus potentiam (*δύναμις*) discerneret, ex qua ad actionem (*ἐργάτεια*) perducta res singulae perpetuo fierent. Plato vero jam in hac definienda notione ultra Pythagoreos progressus, qui infinitum id tantum dixerant, quod vel numeris comprehendendi non posset vel in ipsis numeris unitati repugnare videretur, neque satis hac in re exterrum istud, quod spatio attribuitur, infinitum ab eo distinxerant, quod cogitari tantum potest,<sup>172)</sup> ita eos correxit, ut infiniti naturam ad perpetuum istum Heracliti motum atque ortum revocaret; nam infinitum id esse voluit, quod perpetuo et moveretur et mutaretur. — Finiti vero notio ita constituitur, ut ea contineantur, quaecunque plus minusve non recipiant neque perpetuo variantur ac mutentur, sed eadem perpetuo sint et eodem semper modo inter se invicem referantur, id quod maxime in omnes numerorum et modorum definitiones cadit. Neque igitur a numero neque a modo vel mensura, quippe quae numeris exprimenda sit, diversa est finis notio; est, ut cum philosophis loquar, quantitas, quae infinitas rerum qualitates ad certas numerorum leges ac formas revocat et efficit, ut singulae a singulis discerni possint; est aeterna aequalitas perpetuae isti varietati

167) Non solum magnitudinem, multitudinem, vehementiam motus, sed etiam calorem et frigus (p. 24, e.) in rebus illis fluctuantibus nominat, unde satis constat, Platonem de infinita aliqua materie cogitasse.

168) Arist. metaph. XIII, 1.

169) p. 50—52, d.

170) p. 52, b.

171) Quomodo Plotinus hanc rem tractaverit, in quaestionum de dialectica Plotini ratione cap. III. (p. 51, sqq.) pluribus exposui.

172) Cf. Boeckh. Philol. p. 99.

opposita; est immota illa Eleaticorum essentia, quae omnium rerum motum, quem Heraclitei docebant, coercet, cohibet, consistere jubet; est forma, quae materiae insita, ut mens ubique molem agitat, in universo mundo rerum elementa et apte componit atque effingit et ad aeternum pulchritudinis exemplar excolit; est denique notionum summarum vel idearum unitas, quae partium varietatem continet et comprehendit. Minime vero assentimur Stallbaumo dicenti, Philolaum voluisse, finitum esse vim naturamque efficientem, quae, cum ceteris omnibus, formam definitamque rationem impertiretur, tamen ipsa non inanis esset forma, sed concretam sibi haberet vim naturamque eam, quae revera esset.<sup>173)</sup> Nam tantum abest ut jam Philolaus, qui finita a numeris non distinguebat, hanc de iis notionem animo conceperit, ut ipse etiam Plato de iis aliter judicaverit, cui finita omnino nihil nisi inanes quodammodo sunt formae, quae per se ipsae nihil nec valeant neque efficiant; vim vero procreatrixem iis et per eas infinito vel materiae aliunde venire putabat, ex quarto illo omnium rerum principio, de quo infra exponetur. Sic igitur hic quoque Plato priorum philosophorum de hac re definitiones et emendavit et amplificavit. Nam quum et Jonicarum scholarum physici et Democriti sectatores ea tantum finita esse dicerent, quae certis locorum temporumque spatiis finirentur, Pythagorei vero in solis numeris ejus notionem posuissent, Plato ad Parmenidem reversus, qui unum solum aeternum finitum dixerat, quia notio ejus certa ac definita esset, eandem constantem et definitam *οὐσίαν* quam ideis suis attribuisset, earum formas quidem, sed non totam vim ac naturam in numeris esse voluit.<sup>174)</sup> Quidquid igitur cogitari et ad generis vel speciei notionem revocari posset, id finitum dicebat, id quod ex omnibus, quae de eo saepius leviter tangit quam exponit, facile conjicias. Namque omnino negandum non est, eum finiti notionem minus accurate tractavisse quam infiniti, quam illam, parum sibi constans, unam modo modo variam esse dicat.<sup>175)</sup> Quod quamquam ita explicari quodammodo potest, ut finiti unitatem ad numerorum unitates, varietatem vero ad varias numerorum rationes et relationes referamus, malim tamen dicere, eum, quod, Pythagororum scilicet exemplum secutus, finiti ipsiusque finis notiones non recte distinxerit, hac de re diversa dixisse; nam quum finis unus sit, finita certe in se ipsa jam aliquam varietatem habent. Quamobrem rectius omnino egisset, si infinito finem, non finitum opposuisset, quod potius tertio rerum generi, mixtum dico, attribuendum fuit. Id ipsum Platonem minime fugisse videmus inde, quod mixtum et finito et infinito melius esse dicit, qua re omnino significat, utramque notionem per se nihil esse, nisi alia accedat, id quod eodem modo de cognatis illis for-

173) Prolegg. ad Phil. p. 40.

174) Distinctius quidem et definitius de hac re, ut solet, egit Aristoteles, dum varias vocabuli πέρας distinguunt recte et distincte, metaph. IV, 17. — Neque πέρας, τέλος, μέτρον, quae singula suam habent vim, Plato, uti par erat, distinxit.

175) Cf. p. 23, e. τὰ δύο τούτων πολλὰ ἐκπεφωθέντα ἐξαισιμένον καὶ διεπαπαγένον ιδόντες — νόησαι πή ποτε ἡγε μὲν ἔν καὶ πολλὰ ἐκάπερον, et p. 26, d. τὸ πέρας οὔτε πολλὰ τίχνη οὔτ' ἐδυσκολαίνομεν ὡς οὐκ ἡγε ἔν φύσει.

mae et materiae, quantitatis et qualitatis notionibus dici potest.<sup>176)</sup> Mixti vero natura ita describitur, ut cum Heracliteis et Pythagoricis Parmenidea et conciliata et, quaecunque ex iis recepta sunt, admodum aucta atque amplificata videamus. Ipsum quidem actum, quo finita cum infinitis miscentur, generationem interdum nominat,<sup>177)</sup> priores illos et poetas et philosophos secutus, qui rerum omnium ex principiis contrariis originem ita significabant, ut hanc cum generatione et partu, principium vero et agens et patiens cum patre et matre compararent.<sup>178)</sup> Strictius vero de rerum singularum ortu dicit, finita vel numeros ac modos cum infinitis copulari et in unam naturam coalescere eoque nexus singula quaeque fieri. Sic, quum jam in Parmenide et sophista immotam istam Eleaticorum quietem movere instituisset, dum ostendit, necessario et unum in multa explicari et multa rursus in unum congregari, inter utrumque vero momento brevissimo mentisque acie vix comprehendendo transitum illum statuit, ut unum multa, multa unum<sup>179)</sup> fiant, nunc ea, quae ibi dialectica ratione disputaverat, principiis Pythagoreorum supplet. Mixtum vero quum *οὐσίαν* nominat, non quidem aeternam illam dicit, quam solis ideis attribuit, sed rerum singularum et mutabilium fluxam mobilemque naturam perpetuo quasi nascentem et orientem, sed ita, ut inde aliquid, quod vere sit, semper evadere videatur. (*γένεσις εἰς οὐσίαν*.) Etiam hic indicat, se non solum de voluptate et scientia, sed de rebus universis vel mixtis vel miscendis disputare, dicens, vitam cognitione et voluptate temperatam non haec duo tantum in se habere, sed in ea omnia infinita finitis colligari.<sup>180)</sup> Id vero Pythagoreis debetur, quod temperamentum illud contrariorum modo vocabulo a re musica desumto harmoniam vel consonantiam, modo voce architectis propria symmetriam vel partium convenientiam vocat, quam invenit, ubicunque varia conjuncta et ita ad certos modos reducta cognovit, ut singulae totius partes ad supremum operis finem egregie conspirarent et quasi consonarent. Quamobrem exempla, quibus hanc rem illustrat, non solum ex arte musica repetit, sed eandem in varietate unitatem, aequalitatem, justam convenientiam et in anni tempestatibus recte temperatis, qua in re Eryximachus medicus in convivio amoris ubique in natura dominantis vim sibi cognovisse videbatur,<sup>181)</sup> et in corporis sanitatem, robore, pulchritudine agnoscit, quae summa fere ab antiquis hominibus vitae bona habebantur.<sup>182)</sup> Hoc ipsum vero, quod infinitorum cum fi-

176) Quod Hegelius in logica (Copp. vol. III, p. 209.) dicit: „die Qualität ist die erste, unmittelbare Bestimmtheit, die Quantität die Bestimmtheit, die dem Sein gleichgültig geworden, eine Grenze, die eben so sehr keine ist.“ ei haud ita dissimile est, quod dicit Plato de quanto: *τὸ ποσὸν ἔστη* (Non: stabat sed: constituit) *καὶ προὶὸν ἐλαύσατο.*

177) p. 26, e. *τοῖτον - τὸ τούτων ἔχοντος — γένεσιν εἰς οὐσίαν ἐξ τῶν μετὰ τοῦ πέρατος ἀπειργασμένων μέτρων.* Etiam plenius in Timaeo p. 50, d. Nec non suavissima illa de amoris ex luxus et inopiae concubitu origine fabella, quam in convivio Socrates ut a Diotima acceptam narrat, quodammodo hoc pertinet.

178) Cf. prolegg. ad soph. p. 556, not. 14.

179) Cf. prolegg. ad Parm. p. 257. sqq. ad soph. p. 457. sqq.

180) p. 27, d. *οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν ἔστι μικτὸς ἔχεινος, ἀλλὰ συμπάντων τῶν ἀπειρῶν ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδμένων.*

181) Conviv. p. 188.

182) Cf. Meno p. 87, e. Gorg. p. 451, e. Alios locos adduxit Stallbaumus in edit. Phil. p. 169.

nitis nexum pulchritudinis causam dicit, ad pulchri notionem recte definiendam plurimum valere infra videbimus. Hanc igitur moderationem quasi suam deam, pravitatis omnis immoderataeque licentiae adversariam, voluptati Philebi opponit, quam ipsam sine illa ne servari quidem posse re-ctissime dicit.<sup>183)</sup> — Denique vero ad haec tria principia, quibus nihil aliud definitur, nisi et fieri omnia et ex duobus elementis contrariis fieri,<sup>184)</sup> quartum debet accedere, quod ut illa misceantur efficiat; nihil enim eorum, quae sunt, sine causa fieri potest. Hoc summum rerum principium dum Plato natrnam causae efficientis dicit eundemque actum, quem modo ortum dixerat, jam vel creationem vel formationem nominat,<sup>185)</sup> Pythagoreorum doctrinam hic quoque corrigit; nam suprema illa Philebi unitas non vis aliqua rerum omnium procreatrix erat, sed numerorum tantum omnium principium et radix. Simul vero disputationem in praegressa dialogi parte inceptam ad campum multo latiorem traducit; nam quamvis unitas generis finito, singularum rerum varietas infinito, mixto denique partium, quae eadem generis notione continentur, definita multitudo respondeat, hic tamen non amplius de generis, speciei, individuorum notionibus agitur, sed infinitum est omnium rerum materies, finitum forma. Haec omnia vero jam suprema illa unitate cognoscuntur colligata, qua sublata omnis rerum et cognitionis et veritas dilabetur atque evanescet.<sup>186)</sup> Quatuor igitur haec principia, ἀπειρον, πέρας, μητρὶ ωσίαν, μῆκος αἰτίαν dum proponit, quae ab Aristotele recepta variisque modis in variis philosophiae partibus immutata sunt,<sup>187)</sup> jam iis praeludit, quae postea in Timaeo exposuit.<sup>188)</sup> Qum vero Socrates et consentienti Protarcho et Philebo invito cedenti et infiniti veram naturam ignorantib[us] bonum aliquod esse affirmat, quod ad voluptatem accedere debeat,<sup>189)</sup> jam se ad sublimiorem universi mundi contemplationem transire indicat. — At quaerat quis, quid Protarchus sibi voluerit monens, etiam quinto opus esse principio, quod vim secernendi vel discernendi habeat, quam opinionem Socrates non rejicit, sed ad aliam aliquam disputatio-

183) p. 26, c. Egregie hic verborum ἀπορράστειν et ἀποσώζειν oppositione exprimitur, voluptatem moderationem non, ut homines voluptarii putent, perdi et tolli, sed servari atque augeri.

184) p. 27, a. τὰ μὲν γυγνόμενα καὶ ἐξ ἄντρινα πάρτα τὰ τοῦ παρέρχετο ἡμῖν γένη. In hac enumeratione unum quidem trium illorum membrorum deesse videtur, sed et infinitum ei finitum, ex quibus sunt mixta, altero membro comprehenduntur.

185) τὸ ποιοῦν, δημιουργοῦν, p. 27, a. b.

186) Cf. Parm. p. 164—65.

187) Ut Plato mixtum ex finitis atque infinitis, sic Aristoteles (metaph. VI, 3.) ex materie et forma (εἶδος, μορφὴ) componit οὐσίαν, hanc vero non ipsis addit principiis, sed duo alia addit: τὸ πρῶτον κίνοῦν, τὸ ὁὖ ἔρεζα. (phys. II, 3, sqq.) In logicis vero haec quatuor principia ita definit: τὸ τίνων ὅντων ἀνάγκη τοῦτο εἶναι, (materies quasi vel judicii vel syllogismi) τὸ τι ἡν̄ εἶναι, (forma vel ipsa notio) τέ πρῶτον ἐξηγησε, (causa) τὸ τίνος ἔρεζα, (ratio et finis) anal. post. II, 11.

188) Tim. p. 50, c. sqq. γένη τοιτά, τὸ μὲν γυγνόμενον, τὸ δὲ ἐν φύσει γίγνεται, τὸ δὲ ὅθεν ἀφομοιούμενον γίγνεται τὸ γυγνόμενον.

189) p. 27, e. Receptam a Stallhauso Stephani conjecturam ὃ παρέρχεται τι μέρος ταῖς ἡδοναῖς ἀγαθοῖς pro vulgata ὡς non censeo necessariam, quum absolute dicatur: nam (ὧς) voluptatibus boni aliqua pars afferatur; (eamque ob causam nobis aliud quid quam infiniti natura quaerendum est) certe, si quid mutandum esset, proprius a vulgata abesset ὄντα.

nem reponit.<sup>190)</sup> Memores vero eorum, quae Plato de notionibus differentiae (*έτερότης*) et ejus, quod non sit, (*τὸ μὴ ὅν*) in Parmenide indicavit, in sophista accuratissime exposuit,<sup>191)</sup> non dubitamus, quin de eadem hic re cogitandum sit. Indicatur igitur principium aliquod secretionis vel disjunctionis, quod singula inter se distineat et efficiat, ut nos ea discernere ratione possimus, quod principium quamquam causae procreatrii oppositum esse videtur, vere tamen ejus altera quasi pars est; nam ubiunque singulae res sunt, ita semper sunt, ut inter se diversa sint et suam quaeque aut vitam aut omnino condicionem habeant. Quam gravissimam sententiam hic quidem, ubi de contrariis miscendis potissimum disputatur, Plato amplius non est persecutus; sed arripuit eam Aristoteles et ita ea usus est, ut quatuor illis principiis quintum addiderit, quod privationem (*οὐέλησις*) dicere solet.<sup>192)</sup>

Ipsam vero quarti principii vel causae efficientis notionem ita definit Plato, ut, quamvis etiam hic aliqua ex Pythagoreorum doctrina receperit, pleraque tamen longe ultra eam progressus prorsus nova novoque modo doceat.<sup>193)</sup> Nam universum quidem mundum ab una divina mente sapientissime regi, temperari, componi et certissimos esse astrorum motus et circuitus, certas annorum tempestates ac vicissitudines, praelarum denique rerum omnium ordinem, haec omnia jam Socrates ab Anaxagora desumpta ita amplificaverat, ut animum humanum cum divina cognatione aliqua nexum esse ideoque a natura sapientiam virtutemque, per quam supremo numini similiior redderetur, appetere ostenderet.<sup>194)</sup> Quam sententiam si Plato identidem jam ab antiquis hominibus inventam dicit, mihi quidem non solum de Anaxagora, sed de antiquissima illa persuasione a poëtis tantum non omnibus confirmata cogitasse videtur, res omnes summi numinis, cuius nutui omnia pareant, sapientissime administrari, quamobrem supremam illam mentem, popularem opinionem sectatus, Jovem nuncupat.<sup>195)</sup> Quodsi in eos invehitur, qui hunc mundum temere et sine ratione exortum esse vel caeco quodam casu in hunc pulcherrimum ordinem coisse putent, id ita Leucippeum et Democritum tangit, ut minime dubitem, quin imprimis de his atomorum inventoribus dictum

190) p. 23, c.

191) Cf. prolegg. ad Parm. p. 293, sqq. ad soph. p. 464, sqq.

192) Arist. metaph. IV, 22. VI, 7. phys. I, 9. — Schleiermacherum, (prolegg. ad Phil. p. 130.) qui illam τοῦ μὴ ὄντος notionem hic eam ob causam a Platone non adhibitam esse dicit, quia eam Pythagoreorum sermone usus infiniti nomine nominare voluerit, fugerat, istud μὴ ὅν prorsus diversum ab hac infiniti notione esse.

193) Nova se dicere velle ipse Plato indicat, dum Socratem dicentem facit, se non aliena tantum sine periculo dicere velle, sed ipsum cum auditoribus periculi participem esse; p. 29, a.

194) Xen. memorab. I, 4, 8. IV, 3, 14. Cf. Cic. de n. d. II, 6, III, 11. Ceterum facile cognoscas, in Socratis verbis duplicis argumentationis, qua Deum esse demonstrari solet, cosmologicae, quae dicitur, et teleologicae inesse initia.

195) Platonem saepe sapientiam philosophorum etiam talium, qui proxima ante eum aetate vixerant, a remotiore antiquitate repetere ostendimus in prolegg. ad soph. p. 557, sqq.

sit.<sup>196)</sup> Id vero novum est, quod universum mundum corpus divinae mentis dicit,<sup>197)</sup> quod in natura divina non minus quam in humana mentem ab anima distinguit, illam vero neque diis neque hominibus umquam sine hac esse posse affirmat,<sup>198)</sup> quod mentem humanam, quamvis solam, nisi voluptas aliqua animo percipiatur, ad bene beataque vivendum non censeat sufficere, maxime tamen supremae omnium causae cognatam atque affinem dicit.<sup>199)</sup> Quamquam vero id, quod corpus humanum ex iisdem, quibus omnem rerum universitatem, constare putat elementis, jam Empedocles praeiverat,<sup>200)</sup> et, quod mentem humanam ex divina quasi decerpitam et delibatam dicit, idem jam Pythagorei quidam docuisse feruntur,<sup>201)</sup> vere tamen Platonicum esse videtur, quod elementa illa, quibus universum constat, multa puriora et pulchriora dicuntur, quam corporis humani, quae illis perpetuo alantur et nutriantur. Est enim haec eadem pia coeli coelestiumque rerum reverentia, quam, a Pythagoreis scilicet excitatam, et in politico<sup>202)</sup> et in Phaedro invenimus; namque in illo vitam humanam ac terrestrem exilem imaginem vitae universae ac colestis dixerat, in hoc vero sedem idearum in loco adeo supra coelum elato posuerat, in quo ne dii quidem vivere solearent, sed quotidie ad illum curribus evecti in loca infra coelum sita redire.<sup>203)</sup> Etiam quod regiam quidem mentem animumque regium in Jovis natura dicit esse, quia in ea sit vis illa procreatrix, in aliis vero alia pulchra esse, in memoriam nobis revocat ea, quae in Phaedro de diversa animorum, quorum quisque suum aliquando deum secutus fuerit, natura dicta sunt.<sup>204)</sup> Ad totam vero

196) Quamquam impiae istae opiniones illo tempore non minus sedulo, quam hoc nostro, a sophistis aliquis frigidissimae sapientiae sectatoribus, quos Plato in sophista (p. 246, a.) omnia a coelo ad terram deripere neque quidquam verum habere dicit, nisi quod manibus contrectare possint, circumferebantur et insipienti multitudini venditabantur, multo certius tamen, quam Stallbaumus facere ausus erat, (proleg. ad Phil. p. 48.) imprimis Democritum istius doctrinæ antesignanum hic tangi affirmo.

197) Cf. Phaedr. p. 246, b. πλάττομεν οὔτε ιδότες οὐδὲ ισαρώς ροήσατες θέον ἀθάρατόν τι ζῶον, ἔχον μὲν ψυχὴν, ἔχον δὲ σῶμα, τὸν δὲ καὶ ζῷον ταῦτα ξυπλεύζουται. Frustra haec emergentis interdum in Platonicis animo pantheismi, qui dicitur, initia negaveris, quamvis ille, si quis alias, ab hac doctrina alienus esset.

198) Plato animam et mentem, quas Anaxagoras nondum distinxerat, (Cf. Arist. de anima I, 2.) in sophista primum (p. 249.) et Phaedro (p. 247, d. e.) secernere coepit, qua in re eum Aristoteles ita secutus est, ut immotam mentis naturam etiam subtilius eo describeret, (metaph. XI. de anima III, 4.)

199) p. 30, d. Vocabulum illud γενούστης quamvis infelicissime effectum, nuper etiam a C. F. Hermanno condemnatum, eo minus loco movere audeo, quod Plato in eo componendo, nisi fallor, recordatus est, antiquam radicis νοέω formam fuisse γνοέω, [γενοέω.]

200) Empedocles v. 55. sqq. ed Karsten. — Quod Plato per totam rerum naturam etiam terram diffusam dicit, (γῆ ἐν τῷ παντὶ, p. 29, d.) referendum videtur ad Anaxagorae de luna (D. L. II, S. Plat. apol. p. 14.) aliquis, ut videtur, astris sententia.

201) D. L. VIII, 28. [εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος] Cic. de n. d. I, II. Cato major c. 21. [audiebam Pythagoram Pythagoreosque omnes — numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus] Cf. Stallb. prolegg. ad Phil. p. 45, sqq.

202) In notissima ita de mundi conversionibus fabula p. 269 — 75. Ut hic p. 30, b. τὰ μεγάλα μέρη [τοῦ κόσμου] rebus terrestribus, sic ibi (p. 271, d.) locis terrestribus τὰ τοῦ κόσμου μέρη opponuntur. Sic natura humana est ὡς μικρὸς κόσμος, ut dici solet, et τοῦ μωροῦ κόσμου imago.

203) Phaedr. p. 246. sqq.

204) Phaedr. p. 247. [ὁ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς] 252. sqq.

dialogi rationem non solum hoc pertinet maxime, quod causa suprema neque coeca quaedam suique non conscientia vis neque nuda aliqua unitatis notio vitae animaeque expers dicitur, sed etiam hoc, quod hanc divinam mentem non sine ipsius mundi, qui ab eo regatur atque animetur, corpore esse ostenditur, qua re philosophus magis indicat quam clare enuntiat, etiam in numinis supremi natura esse aliquam in unitate varietatem. Quapropter pulchritudinem, quam antea ex finiti infinitique nexu explicaverat, maximam divinamque ex universo mundo ejusque partibus egregie compositis conspicit eluentem.<sup>205)</sup> Tandem vero ad propositam quaestionem redit, dum indicat, eandem illam supremam mentem et summum bonorum esse et ab ea mentem humanam ejusque actiones multo proprius abesse quam voluptatem, cuius natura sit varia, multiplex, in genere infinitorum ponenda, quae ex se ipsa neque initium nec finem nec medias partes habeant.<sup>206)</sup> Optime vero his omnibus ea absolvuntur et supplentur, quae in Gorgia de necessario virtutis humanae cum universi mundi ordine ac legibus nexus disputata sunt.<sup>207)</sup>

Postquam ita demonstratum est, scientiam finitorum, voluptatem infinitorum generi esse accensendam, ipsam vero mentem humanam divinae similem et cognatam esse, ipsa et voluptatis et cognitionis origo ac natura explicanda erat, ut argumentis ex recta harum rerum observatione repetitis exploraretur, num illud recte factum esset. Quodsi Stallbaumus aliquando mirabatur, quod, quum tam copiose de voluptate ageretur, aut parum aut nihil de scientiae natura atque origine additum esset ideoque tristi quodam fato eam disputationis partem, in qua de hac re esset expositum, periisse putabat,<sup>208)</sup> ipse postea intellexit, nihil tali expositione opus fuisse. Nam tam plene atque accurate jam in Theaeteto de scientiae ortu variisque gradibus egerat Plato, ut ea hic non iteranda esse existimaret.<sup>209)</sup> Quamquam interdum ea, quae ibi inventa sunt, hic paullisper corrigi atque immutari videbimus. Neque quisquam facile putaverit, Platonem sibi contradixisse, quod, quamvis voluptatem ipsam infinitam dixerit, eam in mixta tantum natura existere posse contendat; nam infinita per se nihil esse, nisi cum iis infinita copulentur, modo vidi mus; quamobrem ut voluptas, cuius ipsa quidem notio ad infiniti genus pertinet, vere percipi posset, natura composita vel mixto, ut dicere solemus, objecto opus sane erat. Voluptatem vero esse in iis, quae non stabilem habeant naturam et inter majorem semper minorem gradum fluctuant, jam inde statim cognoscitur, quod dolorem sibi et oppositum habet et affinem; scientiae autem notio multo est simplicior, et, quamvis variii ejus quoque sint gradus, variae species, ipsa tamen mi-

205) In Phaedro quidem ipsam pulchritudinem ultra coelum ex omni mortalium conspectu videtur removere, [p. 250, b.] at clarissimam ejus imaginem etiam hominum oculis praebeti concedit. [p. 250, d.]

206) Ut omnia finita, sic etiam bonarum artium opera vult, vivi corporis instar, et caput et pedes quasi et partes medias habere in Phaedro p. 264, c., quapropter Lysiae oratiunculam, ut quae eorum nihil habuerit, vehementer condemnat.

207) Cf. prolegg. ad Gorg. p. 382. sqq.

208) Stallb. prolegg. ad Phil. edit. I. p. LXXIX.

209) Cf. prolegg. ad Theaet. p. 44. sqq.

nus voluptate varia ac mobilis est, sed, quo est perfectior, eo propius ad rerum aeternarum constantiam accedit. Hunc necessarium doloris et gaudii nexum, de quo jam in Gorgia disputaverat,<sup>210)</sup> quem in Phaedone elegantissima comparatione significaverat,<sup>211)</sup> hic ex intimis quasi naturae humanae penetralibus tanto acumine explicat, ut haec universa disputatio etiam nobis principia illa praecipiat, unde in talium rerum contemplatione exordiendum sit. Intellexerat enim et voluptatem et dolorem et perpetuo et necessario comitari vitales illas functiones, quarum et oppositione et successione natura humana ex corpore scilicet et animo mixta et constat et servatur; nam nullo umquam vel voluptatis vel doloris affectu tangi non hominum sed fortasse deorum esse cognoverat.<sup>212)</sup> Ubicunque igitur natura hominum re aliqua indigeret ad vitam ac salutem necessaria, ibi dolorem percipi, expleto vero desiderio voluptatem dolori succedere viderat. Quamobrem Pythagoreorum vocabulo recepto voluptate restitutam harmoniam vel omnium virium concentum atque aequabilitatem indicari dicit, et quum omni omnino vel inopiae, vacuitati, privationi vel corruptioni vel denique consumtioni atque interitui naturae humanae dolorem sensisset adhaerere, voluptatem omni repletionis, incrementi, sanitatis genere, justa denique vivendi ratione effici cognoverat.<sup>213)</sup> Et quum Heraclitei omnia semper et oriri et interire putassent, Plato, eos hac in re secutus, voluptatis ac doloris et nexus et successione perpetuam illam omnium rerum in contraria mutationem, sive ortum atque interitum sive secretionem et mixtionem dixeris, sensibus et corporis et animi percipi dixit. At nos quidem in hac disputatione aliquid desiderare libere profitemur; namque quum haec definitio ad eos tantum affectus pertinere videatur, qui aut solius corporis sunt aut corporis simul atque animi, non ostendit, quomodo etiam ad puriores illos, qui solo animo percipientur, adhiberi possit. Verum enim vero ipse philosophus ea quae huic loco deesse videntur, postea in nono de republica libro optime supplevit, ita ut evinceret, etiam animi affectus aut ex penuria aliqua aut ex expletione nasci.<sup>214)</sup> Totam vero hancce materiem in Timaeo brevius quidem et ita, ut haec in Philebo disputatione posteriori illi supponeretur, sed, nisi fallor, multo distinctius et planius retractavit.<sup>215)</sup> Distinguuntur vero tria affectionum sive jucundarum sive molestarum genera, corporis, animi, utriusque; quum vero eae, quae solius corporis sunt neque

210) Gorg. p. 496. sqq. Cf. prolegg. ad Gorg. p. 379. sqq.

211) Phaedo p. 60, b.

212) p. 33, b. τὸ μὴ χαίρειν μηδὲ λυπεῖσθαι πάντων τῶν βίων ζεῖται θεότατος. Cui opinioni non repugnant, quae in Phaedro de beatissima vita dicuntur, quum ibi poëtarum more de rebus divinis enarraverit; accedit, quod constantem vitæ beatitudinem omnino a voluptate vel laetitia, quae ultra citroque perpetuo movetur, distinguendam duxit. Ceterum jam hic Cynicos tangit, qui nescii, se homines esse, nec gaudere nec dolere summum bonum habebant. — Similis huic de diis sententiae est illa, quam Plato identidem enuntiat, deos non philosophari, quod summam habeant sapientiam; cf. Lys. p. 218, a. conviv. p. 203, e.

213) Haud aliter in convivio [p. 199, c. sqq.] ostenditur, amorem nihil esse nisi naturae humanae desiderium, iis, quibus indiget, sese explendi.

214) de rep. IX, p. 583. sqq. Inscientiam vel stultitiam ibi [p. 585, b.] vacuitatem, scientiam vero et rectam rationem expletionem animi dicit.

215) Tim. p. 64—65, d.

animum tangunt, a nobis omnimo non sentiantur,<sup>216)</sup> de iis tantum agitur, quae aut animi solius sint aut utriusque. Ubi vero affectiones corporis usque ad animum perveniant, ibi sensuum perceptionem (*αἰσθησιν*) corpori et animo communem oriri dicit, quam dum ita describit, ut ea universam hominis naturam uno quasi ictu concuti dicat, jam nervis, ut hodie dicunt, vibrandis sensus oriri divinasse quodammodo videtur.<sup>217)</sup> At quum sensuum perceptio rebus praesentibus tantum excitari possit, omnem de rebus vel praeteritis vel futuris sive dolorem sive voluptatem solius animi esse docet; praeterita enim vel bona vel mala memoria ac recordatione, futura spe metuque animos nostros vel gaudio vel tristitia afficere. Facile igitur videmus, prorsus eodem modo, quo in Theaeteto disputatio a primis cognitionis initiis ad perfectiores usque scientiae gradus ascendit, hic colloquium ab affectibus mixtis minusque puris ad puriores atque immixtos progressi describendos. Ut vero ibi demonstratum est, jam in sensuum perceptionibus esse semina quaedam altioris cognitionis, ita hic ostenditur, jam in ipsa voluptate, quam homines quidem sentiant, majus aliquid esse, quo supra naturas rationis expertes extollantur. Et memoriam quidem rectius hic, quam in Theaeteto, definit, quia ab eo ipsum reminiscendi actum (*ἀνάμνησιν*) distinguit.<sup>218)</sup> Cupiditatis vero vel appetitus naturam hic primum a Platone explicari videmus; intellexerat enim, cupiditatem animi, non corporis esse actum; nam quum ea tantum expeterentur, quibus careremus,<sup>219)</sup> corpus, quippe quod nullis nisi praesentibus rebus tangeretur, nihil omnino expetere posse; cognoverat vero id quoque, cupiditatem ex recordatione et spe mixtam esse; nam sperari quidem futura, sed ea tantum sperari posse, quae jam aliquando a nobis percepta essent.<sup>220)</sup> Mox vero patet, omnes hos affectus, quamvis solius animi sint, medium quendam et suspensum in-

216) Quaerentibus nobis quae sint illae corporis mutationes ab animo non perceptae, ipse Plato nos neque nos crescere neque alia multa, quae in corpore fiant, sentire respondet; p. 43, b.

217) Uberius sane pro diverso ejus dialogi consilio de sensuum perceptione egit in Theaeteto p. 156. sqq.

218) Memoriae vim jam in Theaeteto [p. 163.] descripseral, at recordationem ibi magis imagine a venatu columbarum repetita significaverat, [p. 197, b. sqq.] quam verbis definiverat. — Aristoteles, dum memoriam vult esse *καταδιδούσαν τοις εἰδόσοις οὐ γάνταμα εἶναι*, recordationem tum fieri, ὅτε τις ἀναίσχαρη ἡν πρότερον εἶχεν ἐπιστῆμεν ή αἰδησσον, [τερὶ μηήνης καὶ ἀναμνήσιος cap. I, II.] Platonis rationem ita sequitur, ut eam scite suppleat; nam memoriam videt non esse posse sine imaginatione, [*καντασία*] reminisci vero animum non modo eorum, quae senserit, sed eorum quoque, quae mente cognoverit.

219) Cf. conv. p. 200.

220) Cum hac definitione minus consentire videtur, quod p. 35, a. tum, ubi primum animus aliquid concupiscat, expetere dicitur, quorum ne memoriam quidem ullam habere possit; at nolim hoc ita cum Schleiermacher [prolegg. ad Phil. p. 132.] explicare, ut dicam, recordationem vitae praeteritae ante hanc nostram aetate hic etiam ad res sensu percipiendas referri; nam et in Phaedro et in Phaedone cognitionis tantum et notionum vitae illius praeteritae, non eorum, quae quis vel senserit vel corpore passus sit, memoriam esse contenditur, id quod unice cum Platonis ratione convenit. Videtur vero, ubi de cupidine primum excitata agit, de coeco illo naturae instinctu cogitare, quo pulsus animus minus sui conscientis ea, quae nondum viderit, divinatione quadam praecipiat. — Ceterum etiam Aristoteles, non multum a Platone discedens, nullum appetitum, nullam cupidinem sine reputatione aliqua animi esse posse docet, [de anima III, 10 ῥὸ διέρρον τινὲς καὶ διὰ τοῦτο η διάφορα κίνει].

ter dolorem ac voluptatem locum tenere, quum et corporis affectionibus excitari soleant et modo vehementiores sint modo remissiores, multum vero ab aequalitate illa et constantia absint, quae menti ac scientiae conveniat. Dupli vero modo illos animi affectus cum corporis aliqua affectione mixtos esse ostenditur; namque aut contrarios esse corporis animique affectus et modo voluptatem corporis metu ac tristi recordatione infringi modo dolorem laetiore sive memoria sive spe leniri, aut esse eosdem, ita ut modo molestia modo voluptas duplicitur. Puriores igitur animi voluptates et voluptatis expertes et nullo corporis sensu motae quaerendae sunt, quae ut inveniri possint, primum alias voluptates veras et bonas, alias falsas ac pravas esse ostendendum est.

Esse vero et veras voluptates et falsas, non solum ab Aristippi sectatoribus, a quibus voluptatis species omnino non discerni vidimus, sed etiam a Protagoreis istis in dubitationem vocabatur, qui ne sensus quidem neque opiniones sensuum ope conceptas, nedum affectus falli unquam posse sibi persuaserant.<sup>221)</sup> Quamobrem in his refellendis proxime sequitur argumentationem illam, qua ad Protagorae doctrinam refutandam in Theaeteto usus erat. Nam quum ibi et evicisset, esse omnino falsas opiniones, et ostendisset, quomodo fieret, ut in opinando et judicando saepissime falleremur, haec omnia ita ad hanc quaestionem adhibet, ut demonstret, quum opiniones modo verae sint modo falsae, nulla vero voluptas sine opinione aliqua esse possit, etiam voluptates et veras et falsas esse; nam non minus, quam opiniones, etiam voluptates objecta sua, ut cum grammaticis loquar, habere, ex quorum notionibus atque imaginibus vel minus recte conceptis vel obscuratis vel confusis et permutatis omnis non minus voluptatis, quam opinionis error exoriatur. Qua in re paucis repetit, quae et in Theaeteto<sup>222)</sup> et in sophista<sup>223)</sup> exposuit, opinionem esse colloquium, quod solus secum animus habeat, ita ut quaevis opinio judicium sit verbis quamvis non ore pronunciatis conceptum; quum vero ista judicia falsa saepe sint, inde efficit, etiam opiniones esse posse falsas. Id quod jam inde efficitur, quod suam quaeque voluptas vel dolor quisque naturam vel qualitatem habere dicitur; nam quum in Cratyllo, Theaeteto, sophista demonstratum sit, ubique, ubi de rebus aliquid praedicetur, errori locum patere et judicia modo vera modo falsa esse, etiam id non dubitari posse Plato intellexerat, quin falso saepe affectus nostros vel voluptates diceremus vel dolores, qui jure meritoque non ita dicendi essent, dummodo recta atque integra voluptatis dolorisque notio servaretur. Quinque vero deinceps erroris, ex quo falsi illi affectus orientur, fontes ita explicantur, ut eadem fere via ac ratione interdum procedat disputatio, qua in Theaeteto de omnis omnino erroris origine exppositum erat. Primum enim falsae illae imagines, quas ex rebus aut minus recte visis et memoriae impressis aut minus fideliter servatis enasci et falsas efficere opiniones ibi demonstratum est, hic modo vanos dolores modo voluptates falsas excitare dicuntur; qua

221) Cf. prolegg. ad Theæt. p. 8. sqq.

222) p. 189, e. sqq.

223) p. 264.

in re quod et animus cum libro, cui memoria inscribat, quae sensibus percepta sint, et vis imaginationis, quae perpetuo adhaeret memoriae, cum pictore comparatur, qui rerum imagines ab ipsis rebus abstractas in animo depingat, utrumque sane aptius reique convenientius animi naturam exprimit, quam ista in Theaeteto memoriae modo cum tabula cerea modo cum columbario variis columbis replete comparatio.<sup>224)</sup> Deinde vero etiam ex diversis corporis animique affectibus juxta se positis errores affectuum oriri dicuntur, ita ut modo praesentes dolores laetiore sive spe sive recordatione, modo voluptates vel metu vel tristium rerum memoria superentur; id quod simillimum sane est illi in Theaeteto expositioni, in qua docebatur, errores satis multos ex transpositione duarum propinquarum in animo imaginum enasci.<sup>225)</sup> Tertiam quandam falsorum affectum causam ipsam morum pravitatem Plato existimavit; viderat enim, opiniones quidem eas tantum bonas dici, quae verae, malas, quae falsae essent, affectus vero bonos et malos non solum eos nominari, qui veris falsisve opinionibus excitarentur, sed etiam tales, qui necessario vitam vel virtuti deditam diisque acceptam vel pravam invisamque diis sequerentur. Id quod eo loco indicat, quo dicit, animis bonorum, quippe qui a diis diligenterunt, vera plerumque, malorum falsa inscripta esse idque praecipue in diversis exspectationibus cerni, quas utriusque de rebus futuris concipiunt; omnino igitur etiam aliam eamque magnam esse et dolorum et voluptatum pravitatem ex errore non explicandam.<sup>226)</sup> Qua in re quantum Plato et a Socratica ratione discesserit, virtutem esse scientiam, peccata vero omnia ex inscientia veri enasci, et ad ethicam purissimae religionis doctrinam accesserit, vix opus erit monuisse.<sup>227)</sup> Mox vero altera pravitatis affectum causa additur iis omnino propria neque cum opinionibus communis, vehementiam dico nimiamque magnitudinem, quae sanctissimis moderationis legibus violatis ad superbiam atque effrenatam licentiam, (*ὕβρις*) denique ad pessima quaeque delabitur; quam vehementiam modum certosque, qui sunt rebus statuti, fines pro libidine transgredientem jam per se ipsam malam et turpem esse declaratur.<sup>228)</sup> At

224) Cf. Theaet. p. 191—94, 199—200. — Error, qui ex rebus remotioribus minus clare conspectis ideoque cum aliis similibus confusis enascitur, simillime in utroque dialogo describitur, Theaet. p. 191, b. Phil. p. 38. c. d. — Miretur fortasse aliquis Platonem his locis eorum, quae de cognitionis ex memoria vitae prioris origine et de insitis ex eadem illa vita animo humano notionibus docuerit, oblitum mentem eodem fere modo, quo Aristotelem, [de anima II, 5.] cum vacua tabula figuris extrinsecus replenda comparare; at cum sibi minime repugnare videbimus recordantes, nec singularum eum rerum cognitionem sed idearum intelligentiam ex vita superiori repetere, neque has ipas plenas et puras animis innasci, sed sensim disciplina excitari, in memoriam revocari, purgari. Quamobrem nos quidem etiam Aristotelis de hac re sententiam minus, quam vulgo putatur, a Platonica diversam putamus. Accedit discrimen τοῦ παθητικοῦ καὶ ποιητικοῦ τοῦ ab Aristotele inventum.

225) Phil. p. 41, c — 42, c. Cf. Theaet. p. 193.

226) p. 40, e. 41, a. De voluptatibus illis vel doloribus sua natura malis et turpibus uno verbo monuisse satis habet, quia in hunc campum in hoc quidem dialogo sibi non excurrendum viderat; quod utinam in alio quodam fecisset!

227) Cui non in mentem veniat sanctissimi effici: ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ Θησαυροῦ [τῆς καρδίας] ἔχειται τὰ ἀγαθὰ, καὶ ὁ πονηρὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ πονηροῦ Θησαυροῦ ἔχειται πονηρά. [Matth. XIII, 35.]

228) p. 45. sqq.

esse denique etiam tales Plato cognoverat, qui, si quis doloris expers viveret, eam demum veram voluptatem dicerent. Quae sententia quum falsa de voluptate opinione niteretur, jam ea satis probari vidit, falsas esse voluptates; nam eam voluptatem, quam isti putarent, vere esse nullam. Omnino vero in hac pervulgata eo tempore ratione, quam Antisthenis praeiverant sectatores, honestissimi profecto et severissimi viri, quamvis paullo rigidiores veraeque humanitatis modum non semper observantes,<sup>229)</sup> quintam falsorum affectum causam esse intellexerat. Quamvis enim istum errorem multo minus noxium et indignum censeret quam eorum opinionem, qui in voluptate finem bonorum ponerent, attamen refutandum omnino quam maxime censebat, quod et ipsi veritati humanaeque naturae repugnare et eos, qui eum proflerentur, a recta virtutis via deducere eoque perducere videretur, ut se homines humanique nihil a se alienum esse non amplius putarent.<sup>230)</sup> Quanti vero illorum virorum severitatem aestimaverit, non solum verbis satis multis testatur, sed etiam ita indicat, ut eos per aliquod tempus contra communes hostes, voluptatis sectatores, socios accipiat ipsorumque nisi fallor interdum armis atque argumentis<sup>231)</sup> aggrediatur. Nam videntur omnino hac potissimum ratione doctrinam suam defendisse, ut ostenderent, voluptatum earum, quae vulgo dicentur, nullam expertem doloris, nullam igitur vere voluptatem esse et inde efficient, eam demum vitam, quae omnis et voluptatis et doloris expers esset, vere esse vitalem. Quam

- 229) Vacuitatem doloris, quam et Stoici a sapiente suo postulabant et Hieronymus Peripateticus summum bonum habebat, [Cic. de fin. V, 5.] Antisthenes quidem, quippe qui ab omni ignavia animique molilie alienus summo labore virtutem unice expedendam doceret, numquam bonum aliquod esse dixisse videtur; adeo ne voluptatem quidem omnem rejiciendam, verum eam non ante labores suscipiendos, sed post labores toleratos appetendam putabat; Stob. serm. XXIX, 65. In ipsa igitur virtute voluptatem esse aliquam Cynici isti censebant. Nihilo minus eos, si quos umquam, Platonis de hac re dicta tangunt, quum nimis illi etiam eas voluptates spreverint, quae vel ex pulchri adspectu vel ex augenda scientia oriuntur et saepe omnem voluptatem malam et pravam dixerint, scilicet ut aliquid voluptutis sectatoribus opponerent et contrario severissime defenso rectiam mediumque viam aliis ostenderent. (Sic de lis judicial Arist. eth. Nic. X, I. Nota satis est ipsius Antisthenis exclamatio: *μαντίην μᾶλλον ή ησθεῖην*, D. L. VI, 3.) Recte igitur Schleiermacherus et Stallbaumus judicasse videntur, qui de Antisthene ejusque, ut et fieri solet et in Diogene Cynico visum est, multo rigidioribus magistro discipulis Platonem cogitasse affirmant; nam neque aliam ejus temporis sectam novimus, quae talia docuerit, neque, quod ipsi aliquando conjiciebam, ad Democritum referri possunt, qui quamquam placidam illam animi aequabilitatem, quam summum bonum putat, in eo ponit, ut animus ab omni tristiore affectu liber permaneat, (D. L. IX, 45.) hanc ipsam tamen vitae tranquillitatem, prorsus hac in re a Cynicis diversus, et felicitatem et modicam justamque voluptatem dicit. (Stob. serm. I, 40, II, p. 417.) Adeo in lis, quae de puris voluptatibus disputat Plato, prorsus cum Democrito consentit. (*ἴκαστον ἀνθρώπῳ τὸν βίον διάγειν ως πλεῖστα εὐθυμηθέντι καὶ διάχυστα ἀνηγέντι. τοῦτο δ' αὖτε εἰη εἰ τις μὴ έπι τοῖσι θυητοῖσι τὰς ἡδονὰς ποιοίτω.*) Insuper quod difficiles quidem et morosos, sed nobili virtutis studio elatos, severos, honestos, adeo vales saepe nominat, minime ad Democritum, sed ad solos Antisthenicos pertinet. Eo minor sane fabellis istis de similitatibus, quae inter Platonem atque Antisthenem intercesserint, fides habenda est.
- 230) Hoc ipse Plato identidem indicat, dum τὸ μῆτε χαλόειν μῆτε λυτεῖσθαι divinum, non humanum dicit; cf. p. 33, b.
- 231) Antisthenem in libro suo de voluptate, quem Diogenes assert, (VI, 17.) similia Platonii simili ratione disputasse facile cum Stallbaumo conjicias. Mihi quidem illud, quod de scabie et fricationibus tot verbis exponit, non minus Antisthenem quam Socratem sapere videtur.

rationem refutari non posse intellexerat Plato, nisi, postquam concessum sit, plurimis sane voluptatibus aliquid doloris admixtum esse, demonstratum foret, esse etiam voluptates puras, honestas, sanctas, omnis omnino doloris immunes.<sup>232)</sup> Quamobrem primum mixtas dolore, tum puras describit voluptates, in utrisque vero enarrandis more suo a minus bonis et perfectis ad meliora magisque perfecta constanti itinere progreditur. Mixtos igitur affectus ex ordine primum corporis, tum animi simul et corporis, denique solius animi enumerat. Incipit vero a vehementissimis corporum affectionibus, quae mixtam illam naturam piae se ferunt, quum in iis clarissime perspici putaret, quid in voluptate nimium, falsum, malum, quid modicum, bonum, rectum esset. Quamobrem de scabie, de febribus, de aliis morbis, in quibus immodicos saepe dolores immodicas voluptates tum sequi tum comitari viderat, medicorum fere subtilitate disputat.<sup>233)</sup> De secundo quidem mixtorum affectuum genere, qui repugnantibus inter se corporis animique vel voluptatibus vel doloribus oriuntur, hic quidem se pluribus exponere velle negat, quod satis supra de hac re monuerit.<sup>234)</sup> Denique novo atque ingenioso modo multa de mixtis solius animi affectibus affert, in quibus iram, amorem, impetum, desiderium, aemulandi studium, invidiam et id genus omne ponit.<sup>235)</sup> Qua data occasione quum in tragicis tum in comicis vim ac naturam definiendam ita excurrit, ut et expondere velle, quod Socratem in fine convivii dicentem finixerat, ejusdem poëtae esse, tragoeidas et comoedias facere,<sup>236)</sup> et iis, quae de utroque poësis genere in optimam civitatem non recipiendo in tertio de republica libro<sup>237)</sup> dicuntur, quasi praelusisse videatur. Omnino vero his affectibus, quos hodie aestheticos aliquis dixerit, medium quasi locum inter impuras purasque voluptates adsignare

232) Etiam subtilius Plato in republica (IX, 583, sqq.) ostendit, μὴ καθαρὰν ἡδονὴν εἶναι τὴν λύπης ἀπαλλαγὴν μήτε λύτην τὴν ἡδονῆς, quia utrumque non status sit, sed motus. — Ceterum jam ipsum hujus dialogi consilium nos jubet eos, qui vacuitatem doloris voluptatem dicant, non discernere ab iis, qui rationem summum bonum habere dicuntur.

233) Eadem impurae voluptatis cum titillatione (*γαργαλισμός*, quo nomine etiam Epicurus voluptatem nominabat, cf. Cic. de n. d. I, 40.) comparationem in Gorgia (p. 495.) legimus. — Locum corruptum de scabiei sanatione (p. 46, d.) ita sanandum censeo, ut ante ἐντος ἐξτός, quod facile sequente vocabulo absorberi poterat, inseram, quo facto igne admoto modo exterior corporis pars immensas voluptates sentire, dum interiora dolent, modo exterioribus dolentibus interiora voluptate affici dicuntur. Nam quomodo verba *φέροντες εἰς πῦρ αὐτά* explicanda sint, quae frusta Stallbaumus ad auctam fricando partium inflammatarum inflammationem retulit, quod nemo umquam *εἰς φέρειν* dixerit, vel rustici nostri explicare poterunt, qui scabie laborantes more suo, dum calefactis fornacibus admovent, sanare conantur. — Ceterum in voce *περιβόητος*, quod et famosos et clamosos (nam a βοῶ, cuius futurum est βοήσουαι, formatum activam vim facile adsciscit, quae hic loco simili p. 47, a. adjuvatur) significat, grata quaedam est ambiguitas.

234) Similia de hac re jam in Gorgia (p. 496. sqq.) attulit. — p. 47, c. ante verba *σώματι τίναγτα ξυμβάλλεται* jam dudum nobis persuasimus ως inserendum esse, quamobrem hanc conjecturam nuper a C. F. Hermanno (Plat. dial. vol. II, p. X.) factam una cum reliqua, quam propositi, loci emendatione lubentissime amplectimur.

235) p. 47, e. — Si quis miretur, amorem, cui tanta in Phaedro et convivio dignitas attribuatur, hic in mixtis ilisque ex parte minus honestis numerari, is reputet, mixtam amoris naturam in illis quoque dialogis proponi. Nam quis non recordetur egregiae in Phaedro descriptionis amoris, cuius stimulis animi voluptate simul maxima et dolore impleantur? quis non Diotimae fabulae, in qua Amor luxu inopaque natus utriusque parentis particeps esse dicitur? Praeterea hic non de coelesti veri, boni, ipsius pulchri sed de humiliore rerum, quae sensus jucunde afficiant, amore agi perspicuum est.

236) Conviv. p. 223, d. Cf. prolegg. ad Jonem, vol. I, p. 14.

237) De rep. III, 395.

videtur; cognoverat enim, nisi fallor, eos, quamvis non omni dolore vacuos, aliquanto tamen iis, quos ipsi bona malaque experti sentiamus, puriores esse, quum non veris, sed poëtica aliqua illusione simulatis et bonis et malis excitarentur. Quamquam nemo facile negaverit, Platonem in tragediae et comediae dignitate aestimanda non aequiorem et justiorem, quam aliis locis, arbitrum fuisse.<sup>238)</sup> — His mixtis voluptatibus puriores denique opponuntur, quarum primum et natura describitur et causae afferuntur, tum universum rerum genus, cui accensendae sint, definitur. Utilissimus est hic locus ad pulchritudinis notionem constituendam, ad quam hic dialogus, si quis alias, maxime pertinet. Pura enim voluptas ea demum nominatur, quae nec cum dolore desideratur neque in desiderio explendo dolorem secum fert. Est vero illa aut sensum, qui res gratissimas sine anxio desiderio et dolore percipiunt, ant ipsius mentis, quae rerum veritatem discit et cognoscit. Sic, ut fit apud Platonem, pulchra verae boni notione utrisque superiore communi quasi vinculo continentur. Ipsum vero pulchritudinis sedem, dum ea pulchra nominat, quae sensibus purioribus, oculis, auribus, adeo naribus<sup>239)</sup>, et propter se ipsa neque ad aliud quid relata placeant et ab iis nullo addito doloris affectu aequabili voluptate percipientur, ita descriptis, ut Kantii nostri hac de re sententiam, qua verior et plenior nondum inventa est, praevisse videatur.<sup>240)</sup> Dum vero ab his honestissimis sane gaudiis ad puriorem etiam mentis, qua vera cognoscat, voluptatem pergit, comprobatur illud, quod sub finem dialogi dicitur, pulchrum in boni quasi vestibulis collo-

238) Recte quidem in tragoeidiis (p. 48, a. 50, b.) istud *χαρόπτας χλέτης* observavit, in quo quasi nervus artis tragicae est; at fugerat eum, tragici esse, affectus, quos excitaverit, purgare (id quod Aristoteles felicissime intellexit) et dum spectatores docet, voluntatem mortalium frustra divinae legi obniti, vitam terrestrem coelestibus luminibus illustrare. Multo copiosius de comoedia agit, cuius vim in gaudio ponit, quod sentiamus, dum alios quam omnino veri ignorantes tum sibi bona ac virtutes, quas non habent, falso arrogantes et stolidissima quaeque molientes deridemus, scilicet si isti viribus careant ea quae agant persecundi neque omnino nobis metuendi sint. Quum enim gaudium de alienis malis pars sit invidiae, (quamobrem gaudium comoedia excitatum παιδίζον γένοσσον dicit p. 49, a.) invidia vero tristitiam secum ferat, inde efficitur, irrisiōnē comicam non puram esse voluptatem sed tristitiam permixtam. Quae comoediae definitio hodie vix cuiquam placebit; id tamen recte senserat Plato, aliquid impuri gaudio illi admixtum esse, etiamsi nos minus invidiam quam superbiam dicamus, qua elati nos alii meliores vel intelligentiores esse putamus. At si vidisset Plato, summum comoediae finem esse, ridendo dicere verum, aliquanto pluris fortasse eam aestimasset. — Egregiam vitae cum tragoeidia et comoedia comparationem p. 50, b. leviter indicatam et a multis usurpatam splendidissime exornavit Plotinus Enn. III, 2, 17. Neque vero hoc loco cum G. Hermanno et Stallbaum post έν τοιούτοις καὶ τομούσιοις addenda esse existimo, sed adsentior Schleiermachero non inepte, ut vult Stallbaumus, sed rectissime monenti, comoediae nomen in secundo membro more Platonico suppleri, quae grata negligenter hic eo gratior est, quod primo scriptor de tristibus tantum loqui velle videtur, mox vero quasi se supplens et corrigens comoediam addit. — Verborum lusibus supra memoratis adde έχθροι τε καὶ αἰσχύλοι p. 49, c.

239) Res, quae odore percipiuntur, in simili Hippiae majoris loco (p. 299.) ex pulchrorum, quae oculis tantum atque auribus capiantur, numero eximit. In Timaeo vero, ubi subtilior visus auditusque natura ex purioribus, quae in iis sint, aeris ignisque elementis deducitur, (p. 64—65.) etiam gratis odoribus nihil molesti additum esse dicitur.

240) Kritik der Urtheilkraft, p. 16. (ed. III.) „Geschmack ist das Beurtheilungsvermögen eines Gegenstandes oder Vorstellungsort durch ein Wohlgefallen oder Missfallen ohne alles Interesse. Der Gegenstand eines solchen Wohlgefällens heißt schön.“ — In Platonis verbis quum omnium artium tum earum, quae ipsis oculis atque auribus pulchra praebent percipienda et fruenda, statuariae, picturæ, musicæ principium indicari clarum est,

catum esse.<sup>241)</sup> Omnibus vero hisce voluptatibus medius inter finita atque infinita locus adsignatur, ita quidem, ut, quum impurae illae et mixtae immodicae saepe sint et vehementissimae, hae finem modumque justum teneant et finitis quodammodo accenseri possint; sunt enim et simplicissimae<sup>242)</sup> et sufficientes sibi, perfectae, honestae,<sup>243)</sup> neque vis earum magnitudine definitur.<sup>244)</sup> Quapropter, quamvis non summum sint bonum, quia ipsae ex aliis majoribusque bonis oriuntur, sunt tamen in ordine rerum, quae propter se ipsae expetendae sunt. Sic longo itinere et ad veram boni notionem, quippe quod ita sit comparatum, ut omnia in eo finem suum habeant ejusque causa omnia fiant, perducti sumus,<sup>245)</sup> et quasi in excelsa contemplationis arce positi cognovimus et voluptatis mixtae et boni humani cum summo bono eoque, quod ei obstat, nexus; voluptas enim perpetuum illum, quem de omniibus rebus praedicabant, motum, ortum, interitum,<sup>246)</sup> bonum vero aeternum ejus, quod vere est, statum nobis ostendit. Ut vero in omni rerum universitate non sunt res, ut nascantur, sed nascuntur, ut sint, ita non voluptatis causa alia omnia facienda sunt, sed illa utendum est, ut ad verum bonum perveniamus. Quid igitur ineptius, quam ipsam voluptatem summum habere bonum? quid stultius, quam expetere, quod non aeternum, sed fluxum et caducum sit, quod non durantia nobis bona, sed incerta quaedam momenta inter ortum interitumque suspensa afferat? Accedit quod, qui voluptatem bonum nominat, optimum quemque, si quo dolore vexatur, malum, pessimum quemque, si qua voluptate fruitur, bonum dicere cogetur.<sup>247)</sup>

Huic voluptatis et descriptioni et divisioni jam altera ex parte scientiae ipsius in classes ac species distributio opponitur, quae non minus quam illa a minus puris et perfectis ad puriora magisque perfecta gradatim adscendit. Quem locum quum olim Stallbaumus etiam propterea mu-

241) Quod non tertium cumque purissimum purae voluptatis fontem, virtutem dico officiique fidem, duobus illis addidit, eo magis mirandum est, quod in convivio scientiae pulchritudini pulchrum in honestis virtutis studiis ac legibus conspicuum apponit.

242) Plato si puriorem voluptatem minus singularum rerum, ut animalium vel imaginum, pulchritudine, sed maxime et simplicissimis, puris, minime mixtis ac compositis sonis auditis et ipsis rerum figuris ac lineamentis geometricis vel simplicissimis coloribus (ex quibus album maximi aestimat) conspectis excitari dicit, agnoscimus hac in re philosophum, qui nimis saepe rerum singularum proprietate spreta notiones universas et simplicissimas proponit ut pulcherrimas, quamvis haec ipsae, nisi corpori aliqui adhaereant, pulchrae nec nominentur nec nominari possint. Huc etiam pertinet, quod lyricam poësin propter majorem ipsius simplicitatem purioremque naturam et epicae et scenicae anteponere solet.

243) p. 52, d. et lex concinnitatis et vocabuli *ἰανόν*, quod non licet cum Stallbaume: *satis a m p l u m* converti, vis, qua apud Platonem certe semper id, quod sibi sufficit, exprimit, nos jubent τὸ *ἴανόν* post ελλιπούς transponere.

244) Plato vel exiguum voluptatem doloris expertem veriorem et pulchriorem dicit, quam magnam, cui dolor admixtus sit; (p. 53, c.) magis vero sibi constitisset, si discrimen istud majoris minorisque gradus, inter quos infinitas voluptates perpetuo hac illuc feruntur, ad puriores hasce non transtulisset.

245) p. 54, b. non opus erit cum C. F. Hermanno emendare ἐπανεργωτόν, dummodo soloecismum αὐτὸν scribendo sustuleris et ἐπεργωτάς cum codd. plerisque restituendo Protarchum facias iterāndam de re facilissima (nam quid facilius, quam, quae sint, non esse propter ea, quae nascantur?) quaestionem deprecantem.

246) Ipse Aristippus, Heraciteos scilicet secutus, voluptatem levem, [λεῖαν σίνησιν] dolorem asperum motum non minabat; D. L. II, 86.

247) Prorsus idem argumentum invenimus in Gorgia usurpatum; p. 498—99.

tilatum et lacunosum putasset,<sup>248)</sup> quod non plena atque integra esset ista distributio, ipse postea ab hac opinione destitit. Id quod etiam rectius intellexisset, si singulas, quae hic enumerantur, scientiae species ad quatuor illa omnium rerum principia in tertia parte proposita referre voluisse. Nam primum quum distinguat Plato opificum artes ab iis, quae ad juvenum educationem ac disciplinam pertineant, (practicas hodie et theoreticas dixeris) mixtum quidem finitis infinitisque utrumque genus, sed diversa ratione mixtum esse intellexerat. Opificum enim artes, quippe quae in materie versentur formanda, plus habent infiniti, plus vero finiti eae, quibus juventus ad altiorum cognitionem praeparanda est. Utrumque vero genus in duas discedit species eodem modo inter se diversas. Nam opificum artium certiores magisque definitae sunt illae, quae totae a mathematica quadam doctrina reguntur et ad constantissimas normas diriguntur, sive hae in numeris sunt sive in figuris sive in ponderibus; cui classi et architectura accensetur et quaecunque ad eam lignariae tignariaeve artes pertinent. Sunt vero aliae artes, quae non certam illam rationem ac scientiam, sed modo experientiam rectasque ex ea deductas opiniones, modo conjecturas et verisimilia sequuntur. Quibus quod praeter agriculturam et medici, gubernatoris, imperatoris artes (universam denique politicam addere et poterat et debebat) etiam musicam adnumerat, quamquam haec ars, si qua alia, ad certissimas numerorum leges revocata esse videtur, desinemus mirari, si recordemur, duplum a Platone discerni musicam, unam, quae circa ipsos sonorum rhythmos, rationes, intervalla, harmonias versetur maximeque ad animos juvenum ad altiorum scientiam praeparandos pertineat, alteram, quae sonos illos instrumentis variis imitari atque efficere conetur eamque ob causam frustra multa tentando conjectura magis quam certa scientia nisa opere suo perfungatur.<sup>249)</sup> Sic in hoc artium ordine infinita, in illo finito regnant. Simile est earum, quae ad educationem et doctrinam aptae sunt atque idoneae, discriminem. In quibus quum palmam arithmeticae et omnino mathematicis disciplinis attribuisset, has quoque duplices esse intellexerat, et vulgares istas, quarum esset, res ad numeros modosque revocare, discernendas ab iis, quae ipsorum numerorum, rerum numerandarum nulla omnino habita ratione, naturam ac leges studerent perscrutari, id quod philosophantium maxime esset. Quarum illis infiniti major pars quam his admixta est.<sup>250)</sup> His omnibus vero artibus multo superior omniumque quasi regina et gubernatrix

248) Edit. I, p. LXXXI, sqq.

249) In sanando corrupto loco p. 56, a., ubi, quae de fidibus pulsandis afferuntur, nos jubent tibicini arti etiam citharoedorum adjungere, C. F. Hermannus, dum pro ξύμπασα αὐλητική scribit ἀντί ψαλτική, minus apte et universae musicae psallendi artem, toti igitur partem, oponit et indicatam in codicibus omnibus artem tibiarum omittit, quae saepissime cum arte citharistarum conjuncta omnem musicum comprehendit instrumentorum ope exercendam. Quamobrem correctorem, qui in cod. Ven. Σ. post αὐλητική addidit καὶ κιθαριστική, verum tetigisse Stallbaumo adsentior. Quum vero vel ita discrimen musicae, quae μέτρῳ, et eius, quae μελέτῃ στοχεσμῷ τὸ ξύμφωνον ἀμόττε, non satis appareat, vereor, ne transpositis verbis scribendum sit: οὐκοῦν μεστὴ μέρη πον μουσικῆς πρώτον ξύμπασα αὐλητική καὶ κιθαριστική, η τὸ ξύμφωνον-στοχεσμῷ καὶ τὸ μέτρον-θηρείουσα. — Accuratus de utriusque musicae discriminē exposuit de rep. VII, p. 522, c., sqq.

250) Plenior est disciplinarum mathematicarum et enumeratio et descriptio, quae de rep. VII, p. 522, c., sqq. exhibetur, quo loco multo accuratius, quam hic, eae, quae vitae usibus inserviant, ab iis, quae cogitationem excitent et mentem ad ipsum bonum cognoscendum acuant, distinguuntur.

est ars dialectica, quae, dum in ideis vel in iis rebus cognoscendis versatur, quae semper sunt eadem neque umquam naturam suam mutant, reliquas omnes recte cognoscit, aestimat, in suo quamque loco disponit.<sup>251)</sup> Hanc quod multo supra mathematicas disciplinas extollit, hac in re profecto longe ultra Pythagoreorum disciplinam progressus est. Haec igitur vere regia ars, universae philosophiae et initium et finis, proxima est quarto principio vel naturae omnium rerum procreatri et gubernatrici. Cum ea vero duae aliae de principatu certant, quae hoc demum loco afferruntur, quia et ipsae se vitam humanam regere gloriantur et ejusdem principatus, qui dialecticae attribuitur, participes quodammodo esse videntur. Sunt illae primum rhetorica, quae opinione magistra usa et unice utilitatem curans veri similia et speciem pro veritate sectatur,<sup>252)</sup> tum physica vel naturae contemplatio, quae non in aeternis, sed in fluxis ac mobilibus, in origine et natura eorum, quae perpetuo et oriuntur et intereunt, occupatur et vanas saepe pro ipsa veritate species aucupatur.<sup>253)</sup> Quod iniquius summoque philosopho minus dignum judicium ab ipso in Timaeo conscribendo aliquantum mutatum fuisse perspicuum est. Sic iterum iterumque mentem verique cognitionem supremae causae maxime affinem esse demonstratur.

In quinta colloquii parte tandem ipsius boni, quod mixtis finitis atque infinitis oritur, natura plenius describitur, quae nunc demum recte intelligitur, postquam ab omni parte evictum est, neque omnino quidquam esse posse, quod non finitis atque infinitis constet, neque naturam humanam vel meram sine ulla voluptate cognitionem neque nudam sine ulla cognitione voluptatem ferre. Quam ob causam humana quidem bona melius non posse temperari appetit, quam si cum purissima cognitione vel philosophia purissimae voluptates rite misceantur. Quamquam mox perspicitur, etiam inferioribus illis, quae ad vitae utilitatem et commodum pertineant, artibus nos minime carere posse neque eas a numero bonorum segregandas esse.<sup>254)</sup> Voluptates autem non omnes, sed primum veras illas, puras, immixtas ulti recipere, tum etiam necessarias quasdam admittere, impuras vero

251) Etiam de hac arte multo subilius in sexto de republica libro (p. 505—211.) exponit, ubi eam in universae philosophiae culmine ponit eique purissimam rerum aeternarum summarumque bonorum intelligentiam attribuit, reliquas vero disciplinas omnes et fundamenta et gradus esse, per quos ad hanc excelsum philosophiae artem ascendamus; mathematicas vero artes non vult esse νοήσεως, sed διανοίας, quem animi actum in Philebo nondum ab opinione distinguit. Quod si quis comparare velit, quomodo Plato in sophista, Phaedro, Philebo, republica de dialectica judicaverit, is facile inveniet, a. plorem usque et latiorem hujus artis in singulis illis deinceps dialogis proponi notionem.

252) Ne in Gorgia quidem, multo vero minus in Phaedro artem oratoriam a Platone rejici sed purgari atque in philosophiae campum traduci in prolegomenis utrique dialogo praemissis ostendimus; neque hic (p. 58) eam condemnat, sed Protarchus eam vitae universae reginam secundum Gorgian nominanti demonstrat, hanc certe ejus arroganiam non esse tolerandam, quum hic non queratur, quae ars utilissima sit, sed quae strictam rerum veritatem unice spectet.

253) Quamvis hic omnis, quae in natura rerum exploranda versatur, scientiae contentus maxime Democritum aliquosque ei similes naturae contemplatores tangere videatur, qui in rebus singulis defixi summam esse atque unam omnium rerum causam, supremum finem, certas denique leges negabant, nihil minus ejus de hac re judicium iniquius esse omnes facile consentient. Num etiam astronomiam, quam in hoc dialogo ne nominat quidem, in septimo vero de republica libro, (p. 527, d — 530, c.) dummodo recte tractetur, utilissimam esse dicit, cum reliquae naturae contemplatione rejicere voluerit, eo magis dubitamus, quod et astra, Pythagoreorum rationem secutus, divina vi ac vita repleta esse constantissimumque motum habere putabat, et numeros modosque in ea doctrina plurimum valere viderat, quamobrem in loco ex republica allato mathematicis eam disciplinis accenset.

254) Locum multum sollicitatum p. 62, b. καὶ χρόμενος-κύκλοις convertentem Schleiermacherum: „und sich nun in der Baukunst doch der andern Richtmasse und Kreise bedienen sollen“ fugiebat, χρόμενος non esse posse, qui re aliqua uti debeat. Sanandum censeo locum inserendo ante χρόμενος particula μή; nam quisquis humanos circulos et sphaeras ignorat, is scilicet in aedificando non utitur normis et circulis.

omnes libidines ac voluptates excludere et procul removere jubemur, ut quae mirifice mentis aciem extinguant verique cognitionem impediunt.<sup>255)</sup> Bonum vero humanum quum ab universa boni notione regatur et continueatur, jam haec ipsa sub finem colloquii, cuius singulis deinceps partibus praeparata erat, proponitur plenissime. Sic ad exoptatum tandem finem, quem saepe ex longinquo emergentem videbamus, pervenit disputatio. Et primum quidem ipsum summum bonum, quod est in supremo omnium rerum principio vel in natura divina, ex qua omnia bona in universum mundum redundant, quum una notione a nulla mortalium possit comprehendendi,<sup>256)</sup> adumbratur magis quam definitur; tres enim ejus primariae virtutes nominantur, quibus conjunctis demum plena perfecti boni notio evadit, pulchritudo, convenientia cum modo, (*συμετρία*) veritas. Quibus virtutibus perfectissime tria illa omnium rerum principia supra proposita exprimi facile cognoscas; nam quum pulchritudo, quae cernitur in grata quadam varietate, quam sensu simul atque animo conspicimus, uni supremae legi ac rationi subjecta, infiniti aliquid habere videatur,<sup>257)</sup> veritati Plato ipsi finiti et modi locum et naturam attribuit,<sup>258)</sup> ita ut convenientia ex utraque quodammodo mixta esse videatur.<sup>259)</sup> Tantum vero abest, ut summum bonum his tribus quasi elementis compositum sit, ut supra omnia elatum eorum sit et aeternum principium et fons inexhaustus. Pulchritudo vero quum boni divini nobis sit perfectissima imago, boni vis in pulchri naturam quasi refugisse dicitur,<sup>260)</sup> quo dicto Plato notionem pulchri, ut quod in boni vestibulis positum sit, splendidissime simul et verissime illustravit. Eaedem vero tres sunt illius boni partes, quod in universo mundo conspicuum a nobis comprehendendi potest; qua in re quum Plato minus sibi constituisse videatur, quum et *συμετρίαν*, quam antea a pulchritudine distinxerat, in altera partitione idem quod pulchritudinem esse dicat, et pro illa ipsum modum et quidquid est moderatum atque opportunum,<sup>261)</sup> (*τὸ μέτρον καὶ τὸ καίρον*) pro veritate vero mentem et cogitationem nominet, vere tamen haec omnia optimo consilio fecit. Nam in bono, quod nos cogitatione nostra quasi amplecti possumus, nihil magis quam pulchritudinem admiramur, quae, quum varietatem partium una communis lege contineat, simul est partium illa convenientia, quae *Συμετρία* nominatur; eadem etiam naturam perfecti sibique sufficientis exprimit. Veritas vero ipsa quum nec cerni possit nec comprehendendi, nobis quaerenda est in mente et in ideis, summis illis notionibus, ad quas mens evehi potest, quae non solum vitam humanam, sed omnem rerum universitatem regunt et ad summi boni similitudinem conformant. Tertium denique illud, quod in summo bono *Συμετρία* nominabatur, jam, quum haec in rebus ipsis non diversa a pulchritudine esse videatur, est ipsa modi notio, modus ille rerum et finis, ultra quem citraque nequit consistere rectum. Sic in rebus quum universis tum humanis pulchritudo stat quasi a parte infiniti, a finiti modus, mente denique totum mundum permeante et sapientissime administrante omnia ad aeternam divinamque originem revocantur. Quae tres partes quum communes sint et boni universi et humani notioni, ad hanc ipsam recte cognoscendam aliae duae adduntur naturae humanae propriae. Veritas enim et ipsa divina mens cogitatione nostra et scientia percipitur, quamobrem quartum locum et scientia tenet et quidquid scien-

255) Cf. Phaedo p. 64, sqq.

256) p. 65, a. — Classicus est de summo bono ejusque supra singula omnia elata adeoque menti humanae difficillima perspectu natura de rep. VI, 506—09.

257) Quamquam Astius (Pl. L. u. Schr. p. 297, sqq.) recte judicat, quinque, quae hic enumerantur, boni partibus gradus quasi indicari, per quos superiora et coelestia ad inferiora ac terrestria descendant, omnia tamen confundit, dum primam partem ipsam mentem divinam, secundam rudem indigestamque molem, unde omnia creata sint, tertiam universum esse vult pulcherrime conformatum et compositum; nam quis indigestae molis in ipso bono locus? quis vero, si vel de veritate vel de mente dici audiat, de mundo cogitaverit? Id vero Platonis interpres fugere non debebat, eum aliqua varietatis vestigia etiam in summo bono vidiisse; namque quum unitas suprema *τόπος εἰδῶν* esset, idealum quaedam varietas in eo conjuncta esse debebat.

258) p. 64, b.

259) Hanc rationem trium illorum boni elementorum statuentes non ignoramus profecto, hic non, ut in singulis rebus, singula inter se prorsus diversa esse, in singulis omnibus etiam duo alia necessario inesse. — p. 64, e. pro *ἀγράτος* malum legere *ἀγράτων*, ne dictio *Συμετροημένη Συμφορά* adverbio suo careat.

260) Haec sententia quum ab omnibus Neo-Platonicis, tum ingenio vere Plotino et exornata et ad supremas suas causas revocata est in libris duobus praestantissimis de pulchro (Enn. I, 6.) et de pulchritudine intelligibili. (Enn. V, 8.) Praeterea multa ad Philebi interpretationem utilia in libro *Περὶ τοῦ πός τὸ πλήθος τῶν ίδεών υπέστη καὶ περὶ τάχασον*, qui culmen quasi philosophiae Plotinianaee continet, sagacissime disputantur.

261) Quantum momenti Pythagorei in opportunitate (*χαιρός*) esse censuerint, satis notum est.

tiae cognatum est, artes omnes et bonae et necessariae, adeo rectae opiniones, quibus artes pleraque reguntur et ducuntur. Pulchritudo vero puras illas dolorisque expertes, quae solius animi sunt, voluptates excitat, quae in vita quidem humana secundum, in univera vero partitione, quippe quae omnia bona comprehendat, quintum locum obtinent. In mortalium igitur vita recte constituta et temperata finita in scientia artibusque, infinita in voluptatis pulchritudinique jucundissimo sensu apparent; utrumque vero tribus illis majoribus principiis, pulchritudine, modo, mente, ut quae a supremo bono nobiscum communicata sint, continetur.<sup>262)</sup> At etiam sextam his quinque iisque multo inferiorem naturam addit, ita quidem, ut, quae sit illa, non exponat sed obscurius indicet. Dicit enim de eo ut de re, quam satius sit tacuisse quam commemorasse. Quin sextum illud, a quo quasi refugit disputatio, reliquias istas mixtas minusque puras voluptates antea descriptas contineat, vix quisquam dubitaverit; id vero quaeritur, utrum harum quoque aliquid boni partem quamvis infimam esse an omnes a boni notione omnino removendas voluerit. Nam Neo-Platonici quidem sex, non quinque vel bona vel certe partes, quibus universa vita mixta esset, a Platonii indicari consentiebant,<sup>263)</sup> quos contra recentiores tantum non omnes sextum illud, quippe quod impurum sit atque infinitum, honorum numero repellere jubent.<sup>264)</sup> Quia in re id quidem recte judicant, voluptates minus puras non esse necessariam boni partem; at si nullum omuino iis in vitae optimae definitione locum esse, sed eas quam maxime ab hac removere voluisse, in partitione sua sextum illud aut non debebat afferre aut certe indicare, hoc prioribus illis non apponendum sed opponendum esse. Quapropter nos quidem Neo-Platonicos rectissime censemus judicare, Platonem id, quod sextum nominet, etiam sextum partitionis membrum esse voluisse; quae sententia ipsius Platonis testimonio egregie confirmatur. Nam paullo antea dixerat, non solum purissimas, sed etiam necessarias quasdam voluptates vitae humanae recte temperandae admiscendas esse.<sup>265)</sup> Attamen bonas illas neque ipse dixit neque nobis dicere licet; quamobrem non multum mihi a Platonis sententia recessisse videor contendens, voluisse eum necessarias voluptates, quae vitales omnes functiones necessario sequuntur, a vita recte instituenda non prorsus segregari, id quod etiamsi quis vellet ne posset quidem facere, eas vero non veri boni aliquam partem habuisse, sed in numero eorum posuisse, quae ipse media inter bona ac mala dicere solet, ita ut bono consilio facta bona, mala mente perpetrata mala ipsa recte dicantur. Quapropter illas non transeundas quidem in partitione putabat, sed neque in eodem, quo vera bona, ordine ponendas, neque vero copiosius exponendas. His omnibus demum absolutis naturam humana, quam voluptatis sectatores ab animalibus aut parum aut nihil differre opinabantur, ad divinae similitudinem et creatam et restituendam esse recte cognitionem est.

Quo tempore Philebus scriptus sit et quo nexus cum reliquis Platonis libris cohaereat, copiosius exponere augustinus huic opusculo praescriptis finibus vtor, disputabo vero de ea re in pro-

262) Paullo alter Stallbaumus illas notiones definit; (prolegg. p. 76. sqq.) qui quod tertium bonum, mentem, non priori, sed alteri ordini accenseret et in ea ratione invenit in ipsa hominis natura situm, non satis convenit cum ipsius Platonis verbis, in bono illo, quod a nobis cognosci et nobiscum communicari possit, mentem locum eundem tenere, quem in summo bono veritas obtineat. Humanae naturae duo ultima sunt membra, scientia et pura voluptas, quarum illa finiti vel modi, haec pulchri notioni respondet; mens vero inter utrumque ordinem medio in loco ponitur, ut indicetur, in ea communis esse vinculum summum atque humani boni; nam divinae mentis humanae particula est. Sextum membrum si addideris, recta ratio et proportio membrorum restituta est; jam enim tribus, quae sunt divinae naturae, tria humanae propria opponuntur, scientia, pura voluptas, infinita et mixta voluptas; ut vero mens deo et hominibus, ita infinita voluptas his et reliquis animalibus communis est.

263) Syrianus sex bona in Platonis enumeratione invenerat, ita disposita, ut primum et secundum res ipsas bonas, tertium et quartum boni cognitionem, quintum denique et sextum voluptatem et puram et necessariam indicet. Paullo alter Proclus tris dyadas, quibus universus mundus constaret, in Platonis verbis sibi comprehendisse videbatur; primam enim dyadem volebat aeterna omnia ac divina alteram mentes et animas, tertiam animas inferiores (sic ejus verba interpretor) et corpora continere. Etiam Olympiodorus sex esse membra cognoverat; Olympiod. schol. ap. Stalb. p. 287.

264) Praeter Astium et C. F. Hermannum hanc sententiam defendit Stallbaumus, qui sententiam a me aliquando (meletem. Plot. p. 14.) propositam, sex boni gradus a Platone nominari, rejicit; (prolegg. p. 81.) recte quidem, si de bonis tantum cogitandum esset, nam me mixtas quidem, sed necessarias voluptates non debuisse cum Syriano bonis adnumerare libere confiteor; at certe aliquam earum partem in partitione Platonica esse iisque locum eum, quem in vita humana obtineant, etiam in philosophia a Platone non denegari, dummodo necessaria dicas, non ipsa per se bona, etiam nunc defendeo.

265) p. 62, e.

legomenis ad hunc dialogum, quae quartum conversionis Muellerianae volumen hoc ipso anno edendum comitabuntur. Hic paucis monuisse sufficiet, dialogum neque juvenile, ut aliquando putabat Weissius,<sup>266)</sup> nec senile, quae olim Stallbaumi<sup>267)</sup> opinio fuerat, quam ne C. F. Hermannus quidem omnino rejicit,<sup>268)</sup> Platonis opus esse, sed ultimum membrum tetralogiae ethicae, quae proxime post dialecticos dialogos et scholam in Academia institutam composita primi ubique fervoris, quo Plato Pythagoreorum sapientiam amplexus est, vestigia ostendit; chorum hujus ordinis ducere Phaedrum eumque aliquo temporis spatio interposito sequi ex ordine convivium, Phaedonem, deinde Philebum, explicatio nostra illorum dialogorum demonstrabit. Medium igitur inter hos et libros de republica locum Philebo adsignamus, quem et ante hoc amplissimum opus et ante Timaeum conscriptum esse Astius,<sup>269)</sup> Schleiermacherus,<sup>270)</sup> Stallbaumus,<sup>271)</sup> quamvis in reliquis multis dissentientes, felicissime consentiunt. Et profecto, si quis ad ea attenderit, quae nos ipsi identidem ad argumenti enarrationem adnotavimus, is negare non poterit, ubiunque in Philebo iidem, qui in republica et Timaeo, loci tractantur, in his libris multo subtilius, distinctius, uberius de iis agi, quam in Philebo, qui quasi illis dialogis, in quibus ad summum fastigium perducta est philosophia Platonica, praeludit et quaestiones satis multas movet ibi accuratius excutiendas. Idem vero etiam ex universo horum trium dialogorum consilio appareat; nam communis iis est notio boni universi, quae quum in Philebo proxime ad singulorum hominum vitam recte temperandam adhibetur, in libris de republica ostenditur, eam et publicae vitae supremam legem esse et vinculum, quo humana cum divinis conjungenda sint et utriusque consensus restituendus, in Timaeo vero demonstratur, supremum bonum in omnibus universi mundi partibus regnare omnibusque rebus vestigia sui impressisse. Priora vero dialogi quum alii omnes, tum Gorgias et Theaetetus Philebo supplentur, id quod compluribus a nobis locis satis indicatum est.

Si denique quaerat aliquis, num recte Aristoteles<sup>272)</sup> Platonis de dolore ac voluptate disputationem reprehenderit, eum ipsa Stagiritae verba, quae ubique eximium viri acumen produnt, comparare cum Platonicis recteque examinare jubeo. Quod si fecerit, fortasse mihi adsentietur affirmanti, Aristotelem plurima recte vidisse et haud immerito quum alia tum hoc reprehendisse, quod Plato minus ipsius voluptatis et omnino affectuum, quam eorum, unde illi excitentur, naturam ac rationem descriperit; nam affectus per se ipsos nec bonos esse nec malos, sed fieri bonos, si bonos, pravos, si provos mores sequantur. Quamobrem ne id quidem dicendum fuisse, infinitas esse voluptates; omnem enim voluptatem quovis temporis momento finitam, totam, perfectam esse, nec esse ipsam in motu, sed motum aliquem vel mutationem sive corporis sive animi sequi et comitari. Neque igitur quaerendum fuisse, utrum propter voluptatem virtus, an illa propter hanc expetenda esset; nam unam ab altera omnino nullo modo divellendam esse et veram felicitatem vel beatitudinem purissima illa, quae virtutem necessario sequatur, voluptate carere neque posse neque debere. Omnino vero naturam humanam non omni ex parte in hac disputatione recte cognovisse videtur summus philosophus; nos quidem beatitudinem illam, quae sanctam honestamque vitam sequitur, non in infimo loco, sed in eodem, quo ipsam virtutem, loco ponere consuevimus ita, ut adeo ipsum deum et sanctissimum et beatissimum dicere audeamus, nobis ipsis vero beatam post mortem vitam speremus aeternam. Dolorem vero impurum esse et homine indignum affectum cum Platone nemo fere hodie contendet, qui nihil sanctius esse posse sancta illa tristitia a Paulo apostolo eximie laudata, nihil divinus illo animi dolore, quo pressus divinus generis humani restitutor miseros mortales expiare constituit deoque placatos reddere, recordatus fuerit.

266) In conversione physicae Aristotelis, Lips. 1829. p. 405.

267) Ed. 1, p. XI.II, sqq.

268) Gesch. d. plat. Phil. p. 533. Etiam Baumgarten-Crusius (de Phil. Pla. p. 17.) maturioris aetatis foetum Philebum dixerat.

269) Pl. L. u. Schr. p. 292.

270) II, 3, p. 133.

271) Prolegg. ad Phil. p. 21.

272) Eth. Nicom. X, 1–6.